DE

OBLIGATIONE

LEGIS TRIBUTORUM

IN

CONSCIENTIA

ROMAE

TYPIS S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

SOC. EQ. PETRO MARIETTI ADMINISTRO.

TAURINI
APUD PETRI H. F. MARIETTI
Typographum Pontificium.

PARISIIS
APUD VICTORIUM PALMÉ
Editorem et Bibliopolam.

ANNO MDCCCLXVII.

DE OBLIGATIONE LEGIS TRIBUTORUM IN CONSCIENTIA

ROMAE

TYPIS S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

SOCIO EQ. PETRO MARIETTI ADMINISTRO

MDCCCLXVII.

For Tx
D

B. MARIAE V. IMMACULATAE

Primitias studiorum meorum, piissima Mater, Tibi a qua illas accepi dicare vere dignum et iustum est, nec aliud mihi velle posse videor. Equidem scriptura haec plusquam minima non tanto videbatur digna honore, ut tuo mereretur Nomine decorari; attamen ut illam benigne excipias Tu qui Cor Filii Tui vulnerasti non solum in uno oculorum Tuorum sed in uno crine colli Tui, supplex rogo. Tu scis me illud saltem toto corde desiderare, ut ob nullam aliam rationem hoc scriptum evulgare constituerem nisi ad solam gloriam Tuam et Unigeniti Filii Tui, quod et ut fiat Te etiam rogo. Quod si in illo, Tu qui veritatem plene noscis ali-

*

quid cernis quod possit ad bonum conferre illi benedic, et fac ut bonos afferat fructus, secus effice ut saltem nulli noceat, sed propter propositum bonae voluntatis semper benedic eius auctori, et ànimae Patris eius, et illos iunge tecum in saecula in amore Filii Tui. Amen.

DE
OBLIGATIONE
LEGIS TRIBUTORUM
IN
CONSCIENTIA.

§. I.

TRIBUTI NOTIO ET DIVISIO.

Tributi nomen alii, inter quos Varro apud Navar. C. Fraternitas 46, dicunt a tribubus provenire, eo quod ea pecunia, quae populo imperata erat, tributim a singulis proportione census solvebatur; alii derivari dicunt a verbo *tribuo,* ut ait Festus penes eumdem Navar., et tenet Ulpianus, et Suarez (de legibus lib. 5. c. 13. 1.), in quorum sententia tribus potius a tributo esset appellata. Nam quia tributa exigebantur a singulis partibus, in quas totus populus dividebatur, ideo partes illae tribus sunt appellatae.

Tributum generatim sumptum ex Navar. cit. potest dici quidquid tribuitur, et posset dividi in publicum et privatum prout esset solvendum reipublicae, vel privato. Quam generalem tributi significationem, ut comprehendat quidquid alteri ex

iure aliquo persolvitur, sive ad ius privatum pertineat, sive ad publicum, videtur necessario esse admittendam cum Suarez cit. si tributum derivetur a verbo *tribuo*. Inter strictiores vero huius verbi significationes illa et antiquitus emicabat, qua et id exprimebatur, quod a devictis provinciis in testimonium subiectionis victori certo tempore erat solvendum. Verumtamen prout iam communiter accipitur significat, totum id quod a legitima potestate imperante civibus solvendum imponitur ad sustinenda communia reipublicae onera..

Multa semper fuere tributorum genera, prout variae semper fuere res, super quas imponebantur, tituli ob quos postulabantur, vel prout aliae variabant circumstantiae et modi quibus illa exigebantur, pro quibus variis tributorum generibus indicandis varia et fuere nomina excogitata.

Hinc tributum reale, quod imponitur pro rebus immobilibus et fructibus earum. Personale quod imponitur ratione tantum personae. Hoc in iure apud Romanos dicebatur *Capitatio* et consuevit etiam appellari census.

Mixtum quod pro rebus praesertim mobilibus et personis solvendum sit.

Hinc insuper tributum ordinarium et extraordinarium. Ordinarium est quod ex certa lege sive antiqua sive nova, sed statuta ut in perpetuum duret, quotannis solvendum est. Extraordinarium est quod ingruente extraordinaria necessitate im-

ponitur pro tempore quo talis necessitas ob quam imponitur perdurabit.

Inde adhuc variae aliae appellationes in iure Cesareo; ex quo tributum proprie dicebatur quod super capita vel facultates subditorum imponebatur; vectigal, quod magis proprie acceptum significabat id, quod pro rebus in civitatem invehendis, vel ab illa evehendis solvebatur. Portorium quod stricte sumptum accipiebatur pro eo quod solvebatur pro transvectione mercium per pontes et flumina.

Pedagium, *Guidagium* quod solvebatur pro viarum conservatione, et locorum custodienda securitate, ita ut ille in cuius utilitatem solvebatur *Pedagium* seu *Guidagium* deberet antiquitus dare securitatem transeuntibus, quos, si a latronibus vel aliis viam infestantibus expoliati fuissent inter duos, ut dicunt, soles, indemnes reddere debebat.

Et alias adhuc habebant tributorum species Romani, illa tamen materialiter tantum distinguebantur, eorumque nomina saepe confundebantur, et unius nomine caetera saepe significari solebant. Videri potest Ferraris (v. Gabella n. 3. Suarez de legibus lib. 5. c. 13. a n. 2.).

Multis in locis hodie maxime obtinet illa tributorum divisio, per quam distinguuntur inter directa et indirecta. Directa dicuntur quae personam vel eius bona immediate afficiunt. Huiusmodi sunt tributa realia, quae super agros domos imponuntur, et quae alicubi super personam, et

vulgo personale dicitur, et quae in aliquibus regionibus supra divitias mobiles statuuntur et alia huiusmodi.

Indirecta sunt quae cadunt immediate in quamdam actionem circa aliquas res, et mediate in personas quae circa illas res agunt actionem quae cadit sub lege tributum imponente, puta vendunt, emunt, consumunt, introducunt etc. prout a lege taxatur emptio, venditio, consumptio introductio etc. Ad haec revocantur quae solvenda sunt in aliquibus provinciis pro iure successionis, pro usu chartae obsignatae, pro descriptione contractuum etc.

§. 2.

DE CONDITIONIBUS AD TRIBUTI IUSTITIAM REQUISITIS.

Tres communiter requiruntur conditiones ut tributum sit iustum, scilicet ut procedat a legittima potestate, ut statuatur ex iusta causa, et debita cum proportione dividatur.

1°. Legittima auctoritas. Tributa imponere et exigere possunt solum supremi status administratores, qui in terris suis superiorem non habent, ut Imperatores, Reges, Principes superiorem non agnoscentes, et qui in guberniis popularibus summam rerum habent et potestate fruuntur condendi leges. Arg. c. super quibusdam §. praeterea de verborum signif. et c. Innovamus de censibus.

Quare si alicubi civitates et communitates etiam subditae concivibus tributa imponunt, id praestant ex facultate a suprema potestate ipsis

concessa, vel de eius consensu saltem tacito. Est communis videri potest S. Alphonsus (lib. 3. 615.).

An autem vi praescriptionis ius imponendi tributa ab eo, qui non sit supremus in temporalibus, acquiri possit, affirmant plures cum S. Alph. (615.) et Lugo (de iustitia et iure disp. 36. n. 14.). Negant alii cum Suarez (de Legib. c. 14. 14.) Lessio, (de iustit. et iure lib. 2. c. 33. n. 14.) qui tamen notant principem, qui prius recognoscebat superiorem, bene posse per consuetudinem et praescriptionem se eximere a tali subiectione et fieri superiorem, et sic acquirere potestatem imponendi tributa.

Concedunt vero communiter per talem, qui non sit supremus in ordine suo, posse vi praescriptionis ius aliquando acquiri tributa exigendi si non imponendi.

Summus Pontifex potest tributa imponere non solum in terris ipsi temporaliter subiectis, sed (saltem quemadmodum gravissimi quidam et catholici auctores opinantur), etiam in aliis locis, et terris aliis principibus subiectis praestare id potest, aliqua gravi urgente ecclesiae necessitate, vel in subsidium sibi necessarium. Potiori facultate pollet tributa imponendi ob dictam causam in bona ecclesiarum, super quas potest directe imponere. Videantur Suarez (cap. 14. 3.), Less. (c. 33. n. 10.), Sylvius (2. 2. q. 66. art. 8.), Lugo (d. 36. n. 4.).

Episcopus cum consensu sui capituli potest

et ipse in ecclesiis sibi subiectis aliquam collectam imponere ad reparationem ecclesiarum, vel harum aedificationem, si populus indigeat, ad necessaria ministrorum alimenta, aut alia huiusmodi, si aliter suae ecclesiae necessitati providere nequeat; quia cum sit princeps sacrorum in sua dioecesi, sicut Pontifex in tota ecclesia, illam habet potestatem disponendi de temporalibus, quae necessaria est ad bonum spirituale eiusdem suae ecclesiae conservandum et promovendum, quamvis haec eius potestas a S. Pontifice limitari possit, quia illud dictum Canonistarum. «Quod potest Papa in tota ecclesia, id etiam potest Episcopus in sua dioecesi» intelligendum est cum dependentia, et subordinatione ad Papam tamquam superiorem, et aliis appositis limitationibus quos inter alios expendit Layman (tract. 4. 6. 7. 5. lib. 1.). V. et Bouix de Episcopo part. 5. 6. 8. Dictam vero potestatem Episcopo concedunt cum aliis Lessius (cit. n. 16.), Billuart (diss. 9. de iustitia art. VII. p. 1.), Sa V. Gabella (n. 2.), Pichler (lib. 3. decret. lib. 3. tit. 39. n. 2.).

2°. Iusta causa, quae duplex est: necessitas boni communis, sub qua intelligitur quidquid necessarium sit ad expensas pro reipublicae administratione, decenti principis sustentatione, ad stipendia pro tali numero militum, qui sit sufficiens tum ad tranquillitatem tuendam internam, tum ad defensionem contra hostes externos, si sint vel timeantur. Similiter spectat ad hanc commu-

nem utilitatem, quae est iusta causa tributa imponendi, conservatio viarum, pontium, reparationes urbium et decens illarum augmentum, publicorum aedificiorum constructio, expunctio debitorum pro communi necessitate et utilitate contractorum etc.

Tributum autem semper debet exigi proportionate ad causam tum quoad gravitatem, tum quoad durationem, ita ut sit iniquum tributum, si exigatur in maiori quantitate ac causa postulet, aut ultra tempus, quo causa durat. Videtur etiam nunquam licere tale tributum exigere quod in maius populi incommodum vertit, ac sit incommodum cui per ipsum velit occurri. Hinc docet Lugo, quem sequitur S. Alphonsus, non posse principem, ut regnum sibi conservet, propter expensas belli tam subditos gravare, ut eos in magnam paupertatem coniiciat, non enim regnum est propter regem, sed rex propter regnum; nisi, ut bene excipit, alter princeps, qui regnum invadit, sit infidelis vel haereticus, ita ut sub eius regimine gravissima timeri possint religionis damna subditis imminere. Vide S. Alph. (lib. 3. n. 615.).

Altera iusta causa tributa imponendi est iusta compensatio vel punitio. Potest enim princeps independenter a publica utilitate tributum imponere subditis, qui iniuste rebellaverint, vel graviter alio modo contra leges deliquerint sive ad sarcienda damna, quae passus sit ipse, et populus fidelis causa rebellionis, sive ad iustam punitionem iuxta delicti gravitatem mensurandam.

Propter has rationes ab hostibus externis, qui iniuste damnum intulerint, vel qui iniustum moverint bellum, post victoriam proportionatum tributum exigi potest.

Quando vero imponuntur in vindictam habent rationem poenae quoad obligationem; solum, ait Suarez (c. 13. 8.), est considerandum in istis casibus et similibus tributum non imponi, nisi ob delictum iam factum, et iustam condemnationem, ut supponitur, ed ideo ita obligari homines ad illud solvendum tributum, sicut obligatur reus ad solutionem poenae pecuniariae, postquam ad illam est iuste condemnatus. Non autem, quod sic exigitur, oportet, ut ad communem utilitatem specialiter ordinetur. Nam si ponantur in poenam, poterunt sicut aliae poenae applicari fisco vel pauperibus, vel aliis piis locis aut etiam publicis operibus, aut ministris iustitiae iuxta reges imponentis arbitrium. Quando vero fuissent imposita ad damna recompensanda, in eorum commodum redundare debent, qui damnum passi sunt. Suarez (c. 15. 3. lib. 5.).

Petes an Princeps possit tributum imponere si dubitetur an causam iustam habeat illud indicendi?

In dubio negativo communiter negant theologi; si tamen adsint probabiles rationes pro sufficientia causae plures cum Lugo (92.), Less. (42. 65.) dicunt principem posse tributa imponere, etsi ex alia parte adsint probabiles rationes pro causae

insufficientia, quod aliquibus ex peculiaribus rationibus videtur magis extendi posse ad Deputatos in regno parlamentario (Lugo 34.).

Magis tamen placet aliorum sententia, qui dicunt, principem non posse tributum indicere, nisi moraliter ipsi constet de iustitia causae, vel habeat saltem pro ipsa rationes validiores (Billuart); non enim videtur licitum expoliare subditos iure certo sua bona possidendi cum sola opinione probabili.

Tertia conditio, quae requiritur ad iustam tributi impositionem est proportio debita. Haec autem requirit, ut quum causa tributi omnes aequaliter spectat, plus graventur qui ditiores sunt, et ut minus solvant qui minores habent facultates. Si vero causa non omnes aequaliter spectet, magis illi onerandi sunt, quos magis spectat. Hinc principes et magistratus iniuste agunt, si absque rationabili causa ab oneribus communibus aliquem reddant immunem, imponendo vel relinquendo aliis tanto gravius onus consuetam summam contributionum pendendi. Delbene penes La Croix (l. 3. part. 2. 268.), Collet. (de obblig. c. 8.).

Hic quaeritur an tributum impositum ob utilitatem alicuius loci, iuste exigatur etiam ab exteris, qui huc conveniant; et contra aliquos qui negant dicentes non esse gravandos qui exteri sunt propter causam, quae solos tangit cives, affirmant communius cum S. Alphonso, tum quia plerumque non apparet alius modus conveniens colligendi

tributa, quum difficiliter exteri a civibus possint dignosci, tum quia sic in populis invicem consuetudo servatur; incolae enim huius loci, cum ad alios confluunt, etiam tributa illorum locorum solvunt. S. Alph. (lib. 3. 615.), Lug. (28. disput. 36. ut. de iustitia).

Debet et servari proportio ad res, super quas imponitur tributum. Nam si imponatur super rem immobilem, non debet excedere quantitatem moderatam, consideratis fructibus eius et laboribus ac expensis, quae circa rem illam fiunt. Si autem imponatur super res mobiles, quae venduntur et emuntur vel arte fiunt, observari debet ne tales sint huiusmodi res, vel tantum sit tributum, ut redundet in maius onus pauperum, aut artificum, aut mercatorum, quam commode possint sustinere ad vitam et familiam sustentandam.

Propter hanc rationem plures cum Caiet. Sot. Tolet. dicunt non esse iusta tributa, quae imponuntur super his rebus, quae ad proprium usum deferuntur, venduntur aut emuntur, quia inde pauperes magis gravantur quam divites. Communius tamen id negatur si reliquae conditiones non deficiant, quae requiruntur ad iustitiam tributi, scilicet ab habente debitam potestatem et propter iustas causas et proportionate imponatur. Nec refert quod hoc pacto magis videantur gravari pauperes quam divites, istud enim gravamen aliquomodo illis compensatur, dum rerum necessariarum crescente pretio, carius operas suas lo-

cant, et dum alia onera imponuntur divitibus quae pauperes non sustinent. Accedit quod licet non imponerentur gabellae super huiusmodi rebus, sed tantum super aliis, quae negotiationi sunt destinatae, adhuc nihilominus redundarent in aliquod pauperum gravamen, eo quod mercatores illas res cariori venderent pretio. Suarez (c. 16, 3. Sylvius, Billuart, Lessius, Lugo 71.).

Ad c. Quanquam de censibus in 6. respondet Suarez nil aliud per hoc ius prohiberi, nisi id quod per C. *Innovamus* de censibus et C. *super Quibusdam* de verborum significatione, ubi non prohibentur talia tributa, quatenus super dictas res cadunt, sed quatenus non feruntur ab habentibus potestatem, vel non ex consensu illorum.

Quae responsio quamvis ex Lugo (n. 88.) divinatoria sit et absque fundamento, quia in dicto C. *Quanquam* revera sermo est de pedagio super res, quae ad usus proprios et non ad negotiationem deferuntur, non inde tamen reiicienda haec ultima sententia, quia dictus textus dum dicit huiusmodi exactiones regulariter (nota) esse damnatas, satis indicat has exactiones non prohiberi, si graves causae illas requirant. Sed hinc valde rationabile videtur, quod volunt plures cum cit. Suarez, quibus videtur adhaerere S. Alphonsus (616. q. 4.), scilicet teneri principem moralem diligentiam adhibere, ut inveniat modum magis suavem et aequum ac magis subditis pro-

portionatum ad necessaria subsidia per tributa obtinenda, et posse res ad usum proprium destinatas taxare tum solum, quum aptiorem modum non inveniat, et ex Sanchez, quem etiam videtur probare S. Alphonsus (616. q. 4.), super bona, quae ad proprium usum deferuntur, non intelligitur impositum tributum, nec ideo erit solvendum, nisi expresse imponatur, atque expressa de ipso facta sit mentio; verum in Bulla Coenae (§. 5.) excommunicantur omnes qui in terris suis nova Pedagia, seu Gabellas praeterquam in casibus a iure, seu ex speciali S. Apostolicae licentia permissis imponunt vel augent, vel exigunt. Item ibidem (§. 18.) excommunicantur omnes cuiuscumque sint praeminentiae etiamsi Imperiali, aut Regali, aut Pontificali dignitate praefulgent qui collectas, decimas, talleas, praestantias et alia onera clericis, praelatis, et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum et ecclesiarum, Monasteriorum, et Beneficiorum ecclesiasticorum bonis illorumque fructibus, redditibus, et proventibus absque Romani Pontificis speciali et expressa licentia imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam a sponte dantibus et concedentibus recipiunt: nec non qui per se, vel alios directe vel indirecte praedicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem praestare non verentur.

§. 3.

DE EFFICACIA LEGIS TRIBUTORUM IN CONSCIENTIA.

Status quaestionis declaratur.

An tributa debeantur in conscientia ita ut si aliquis illa fraudaverit peccet et teneatur ad restitutionem?

Ut evidens est quaestio supponit tributa esse iuste imposita, si enim aliqua deficeret ex conditionibus, quas diximus ad eorum iustitiam requiri, actum esset de obligatione illa solvendi ex integro vel quoad partem, prout ex toto, vel ex parte tantum essent iniusta.

Quamvis etiam tributa manifeste iniusta fere semper erunt in conscientia solvenda, cum exiguntur, propter aliquam obligationem indirectam, quae fere semper aderit, ut optime ait Antoine de iustitia et iure (c. 5. §. 17.), ne scilicet enascantur publica scandala, et publica perturbatio cum gravi publico damno, ob quam causam quisque iuri suo cedere debet, sed in casu licite occulte saltem fraudarentur.

Ad quaestionem igitur, et quoad obligationem directam, vi scilicet legis ipsius tributa imponentis, illa solvendi in conscientia, quaedam supponenda et praenotanda; et 1°. suppono aliquo modo legem tributum iustum imponentem ligare in conscientia subditos a quibus tributum petitur, cuiusque tandem generis sit tributum sive directum sive indirectum.

Nam et quoad illa tributa pro quorum fraudatione lex mulctam infligit, et de quibus praecipue disputatur an in conscientia debeantur, omnes concedunt quod si aliquis in illorum fraudatione deprehendatur, et legittimo iudicio condemnetur, post sententiam iudicis saltem definitivam, a qua appellari non possit, et quae nullo valeat iuris remedio infirmari, iste tenetur in conscientia solvere totum id quod per sententiam iudicis decernitur, ita ut peccet graviter pro ratione materiae saltem contra iustitiam legalem et iustum superioris praeceptum, si non solvat, et iustam iudicis sententiam eludere quaerat.

2°. Suppono legem tributa imponentem posse subditos ligare in conscientia, ut illa solvant etiam ante omnem petitionem. Hanc potestatem tali legi nullus unquam negavit, si demas Almaynum cum uno vel altero. Hinc secundum omnes tributum debetur in conscientia eo modo quo lex praecipit solvendum, et si lex statueret, ut solverentur tributa ante petitionem, ante petitionem quidem essent solvenda, et quando theologi disputant circa obligationem in conscientia solvendi tributa, non disputant circa praedictam legis facultatem, sed disputant, an revera lex hoc vel illud statuat, et illorum quaestio est circa factum, circa id scilicet quod decernat lex, et non circa id quod decernere posset; unde communiter conveniunt theologi, solvenda esse in conscientia tributa, quae imposita sint per legem simpliciter praeceptivam,

contra quam nulla similiter praevaleat consuetudo, quae aliquomodo obligationem moderetur.

3°. In omnium sententia solvenda sunt in conscientia tributa, quae debita sint ex contractu, ut si essent solvenda ex terris, quae olim ad principis sustentationem et publicam utilitatem fuerint assignatae, quaeque postea in emphiteusim, feudum vel censum fuerint traditae sub certa annua pensione, quae *canon* consuevit appellari, sicut et quaevis alia, quae in iusto contractu fundamentum habent. Suarez (c. 13. n. 4.). Navarrus C. *Fraternitas* (n. 48.), quae tributa solvenda sunt integre et sponte sine ulla diminutione et fraude, etiamsi non petantur quia debita sunt ex iustitia commutativa, quae secum affert hanc intrinsecam obligationem nisi a scriptura vel consuetudine constet aliam fuisse conditionem pacti.

Inter ea quae sic debentur recensemus tributa realia quae super terras et agros imposita sint; non quia haec debeantur titulo contractus ut aliqui volunt qui dicunt solum esse reipublicae, sed quia debentur modo valde naturali et ordinario, et quia pro istis non videntur militare rationes, quae pro neganda obligatione in conscientia quoad plura alia tributa a pluribus adducuntur. Nec de his consuevit fieri quaestio inter theologos, dato quod intra prudentes limites contineatur tributum, nec ulla unquam invaluerit consuetudo, quae aliter interpretetur obligationem moralem circa huius generis tributa; quamvis et haec tri-

buta fraudari nullomodo possint cum in tributi securitatem fundus hypothecae subiiciatur, et iam ob hanc rationem de istis inutile esset disputare.

Hisce praemissis; venientes ad obligationem in conscientia solvendi alia tributa maxime quae prout iam solet esse fere de omnibus imponuntur per legem quae poenam temporalem infligit non solventibus, duplex datur theologorum sententia.

Ponitur prima sententia.

Prima sententia dicit deberi in conscientia ante omnem iudicis sententiam, et legem illa imponentem esse praeceptivam non solum in ordine ad obiectum remotum seu poenam, sed etiam in ordine ad obiectum proximum idest solutionem tributorum pro omnibus rebus a lege taxatis et in omnibus circumstantiis a lege determinatis, ideoque sub culpa servandam, solvendo omne quodcumque tributum lex decernat, sive directum sit, sive indirectum, ita ut quicumque aliquod ex illis fraudaverit, peccet graviter ratione materiae et teneatur ad restitutionem.

Notant tamen communiter valde maiorem quantitatem ad mortale in hac materia requiri, ac sufficeret si ageretur de furto in damnum alicuius privati.

Hanc sententiam probant eius assertores pluribus adductis argumentis, et 1°. auctoritate sa-

crae scripturae ex illo Matth. (XXII. 21.), ubi Christus Dominus interrogatus an liceret censum dare Caesari, ostenso ipsi numismate census, respondit: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo; » ergo, aiunt patroni huius sententiae, eodem modo censum solvere debemus principibus, quo Deo praestare debemus, quae ipsi tribuenda sunt; at ea quae Deo sunt praestanda obligant sub culpa; ergo et sub culpa tenemur censum solvere principibus saecularibus illum legibus suis postulantibus.

Hoc ipsum probatur ex eodem (Matth.XVII.26.), ubi Christus Dominus voluit solvi didrachmam pro se et Petro. Quod ore locutus est Christus, ait S. Bernard. apud Alapid. in Matth. (XXII.), opere implere curavit. Conditor Caesaris non cunctatus est Caesari reddere censum.

Accedit auctoritas B. Pauli Apostoli (Rom. XIII. 5. 6. 7.) ubi ait: « Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram sed etiam propter conscientiam: ideo enim et tributa praestatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes, reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal. » Hinc B. Apostolus aperte dicit tributa esse solvenda propter conscientiam, et ut debita, « reddite ergo omnibus debita, ideo enim et tributa praestatis, » id est propter necessitatem in conscientia.

2°. Probant auctoritate S. Augustini, qui ait: « si quis putet, quoniam christianus est, non sibi

esse vectigal solvendum..... in magno errore versatur. » Et alibi ait: « Nolumus tamen, quoniam
» fisci debitor fuit, hunc scrupulum habere in con-
» scientia. Neque enim fraus ista, quia fisco fie-
» bat: ideo non fiebat. Et ille quidem Paulus,
» postquam Episcopus factus est, renuntiaturus
» suis omnibus rebus propter immensum cumu-
» lum fiscalium debitorum, exacta quadam cautio-
» ne, in qua certum ei pondus debebatur argenti,
» hos exiguos agellos, unde victum sustentaret,
» tanquam Ecclesiae comparavit, sub nomine tunc
» potentissimae domus, ut etiam ex ipsis, morem
» suum sequens, cum fisco non solveret, nullas
» exactorum molestias pateretur. Iste autem (Bo-
» nifacius) qui eidem Ecclesiae, illo defuncto, est
» ordinatus, timuit hos agros suscipere, et cum
» posset pro solis fiscalibus debitis, quae de me-
» moratis possessiunculis ille contraxerat, impe-
» riale beneficium postulare, totum maluit confi-
» teri, quod eas Paulus de argento proprio, cum
» esset fisco obnoxius de hastario emerat, ut eas
» Ecclesia, si fieri potest, non occulta Episcopi
» iniquitate, sed manifesta christiani imperatoris
» liberalitate possideat. Quod si fieri non potest,
» melius inopiae laborem servi Dei tolerant quam
» ut necessariorum facultatem cum conscientia
» fraudis obtineant. Ad hoc tuum suffragium pe-
» timus impertiri digneris. »

Probant auctoritate Tertulliani, qui ait: « vectigalia gratias agent christianis ex fide depen-

dentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus. » (Apol. c. 42.).

Probant auctoritate catechismi Concilii Tridentini de septimo praecepto, qui non solvere tributa et vectigalia includit in crimine rapacitatis.

Probant auctoritate cleri gallicani, qui anno 1700. hanc damnavit propositionem, prout referunt collectiones Andegav. Collet. et Bouvier: « subditi possunt iusta tributa non solvere. »

Probant insuper hanc eorum sententiam ratione: et 1°. tributa, prout docent et S. Hieronymus et S. Ambrosius, debentur iure naturae ad sustinenda onera communia, et ad publicum bonum promovendum, et status principalis sustentationem, quae nullomodo possent obtineri absque tributorum solutione. Et quamvis quantitas tributi non sit iure naturae, sed a lege, posita tamen legis determinatione, lege naturae debetur. Nam sicuti facta determinatione decimae partis solvendae ministris Ecclesiae in stipendium sustentationis, singuli iure naturae tenentur decimam illam solvere; ergo similiter facta determinatione vectigalis, quantum, et ex quibus rebus solvendum sit Principi, singuli lege naturae tenentur illud solvere; est enim par utrobique ratio; sicuti enim decimae debentur praelatis Ecclesiae ob gubernationem spiritualem, ita vectigalia saecularibus principibus ob gubernationem temporalem.

Confirmatur ex Lessio (n. 57.). Respublica lege iustitiae debet Principi iustum stipendium

administrationis, et subsidium necessarium ad conservationem publicae tranquillitatis, hoc enim sequitur ex ipsa natura societatis.

Ergo quando haec obligatio est in singulas reipublicae partes distributa, et assignata unicuique est sua portio, et determinatae sunt res, ex quibus solvenda sit, singuli tenentur illam ex iustitia solvere. Eadem enim obligatione, qua Respublica tenetur in genere ad sumptus necessarios, tenentur singuli in particulari ad suam partem ipsis debito modo assignatam; quare cum singulis assignetur sua pars per tale vectigal, tenentur singuli lege iustitiae tale vectigal solvere.

Confirmatur ulterius ex eodem Lessio (59.). Nam leges tributorum non tantum statuunt, vel praecipiunt, quid sit agendum, sed etiam determinant iustum stipendium Principis, vel subsidium ad onera publica ferenda necessarium: quare sicut aliae leges, quibus praetia rerum determinantur, obligant in conscientia, etiamsi nullum verbum praeceptivum habeant, ita etiam leges et statuta vectigalium.

Neque contra hanc obligationem poterit aliqua consuetudo praevalere; neque enim potest consuetudine introduci, quod Regi non assignetur sufficiens stipendium pro se, et pro publicis necessitatibus sustinendis, ut Vasq. apud Lugo (40.).

2°. Insuper leges iustae et praecepta iusta superiorum obligant simpliciter et absolute in foro conscientiae, cum primum fuerint sufficienter pro-

mulgata, et a singulis subditis obedientiam exigunt, aiente B. Apostolo Paulo (Rom. XIII.): « omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. » Sed leges iusta tributa praecipientes, ut supponimus, iustae sunt: ergo obligant in foro conscientiae, et fraudantes iusta vectigalia peccant et tenentur ad restitutionem.

Confirmatur. Nam sicut Respublica potest cives obstringere ex iustitia ad tributum solvendum, ita et possunt illius administratores principales, in quos totam suam potestatem transtulit: at si possunt, censendi sunt illud praestare, nam hoc pacto efficacius finem suum consequuntur. (Less. 60.).

3°. Accedat: si licitum esset tributa fraudare, licitum et esset cum alterius damno locupletari; nam plura tributa hodie sic solent imponi, ut certa summa a quadam communitate, ex. gr. Provincia, postuletur, inter omnia huius provinciae membra repartienda iuxta uniuscuiusque facultatem, prout lege decernitur, et cuique membro mandatur, ut suarum facultatum, quae sub lege tributum exigente cadunt, censum condat, et legitimae auctoritati praesentet, a qua postea quodlibet communitatis membrum secundum suas vires taxatur quantum necesse est, ut illa determinata summa, quae ab ipsa communitate exigitur, congeri possit. Hinc si aliquis censum suarum fa-

consulto merces occultat, quas invehit in civitatem, et pro quibus esset solvendum vectigal, vel invehit per loca invia et importunis horis, aut occulte merces vendit, pro qua venditione pariter esset solvendum tributum. Ratio quia si tributa ita sunt a republica recepta, ut non debeantur nisi petita, cur non poterit aliquis occultare se ne ab eo petantur? Ipsi exactores, vel quorum interest vigilare debent ne quis res suas v. gr. vendat occulte: alii enim non tenentur facere ut sui contractus veniant ad notitiam publicanorum vel aliorum. Hanc sententiam tenent Molina cum aliis apud Lugo (44.) et alii viri docti apud Sanchez (cit. n. 11.) qui (n. 12.) illam probabilem dicit, et illam refert S. Alph. citat. (616.) quin vel minimum illam videatur reprehendere.

Non pauci adhuc recensitae sententiae patroni ulterius adhuc progrediuntur; plures enim adhuc dicunt interrogatum ab exactoribus quas vehat merces aut vendiderit etc., si mentiatur minus declarando quam res esset, nondum teneri, quia quum posset publicanus summo rigore incedere rem verificando, si id non praestat satis indicat quod tributa in casu summo rigore non petit, et quod contentum se habet declaratione facta, idque iterum probabile dicit Sanchez (n. 16.), et tenet Molina penes Lugo.

Et propter rationem nunc dictam bene retineri potest ex Sttler (p. 150.) et Roussel. quod si alicubi a magistratu exigi soleat bonorum de-

claratio ut super his tributa imponantur, cives autem non adeo accuratam eam dare soleant, sciente etiam magistratu, qui tamen accuratiorem strictius non urgeat, quoties de notabili imminutione non habeatur suspicio, peccatum non erit illam declarationem minus accuratam exhibere, si intra limites communiter receptos illa detractio contineatur. Similiter dicunt sufficere si pretium infimum bonorum declaretur, nec valorem bonorum immobilium, in quo et consentit Bouvier, supra redditus annuos, aut pretium locationis aestimandum, nisi tamen, addo ego, magis praeferatur valorem realem illorum declarare.

Communiter vero et dicunt, quod quamvis leges tributorum obligent in conscientia modo supradicto, non tamen omni duritie procedendum cum poenitentibus semper esse, et unus unam, alter alteram animadversionem adducit ad mitigandum rigorem, et valde plures cum S. Alphonso (616.) laudant Lugo (n. 43.) ubi scribit: « Mihi semper placuit consilium P. Molinae ubi imprimis dicit, monendum esse populum ad tributa solvenda, et ad bene ac iuste de illis iudicandum, et praesumendum, et ante factum consulendum esse, ne defraudentur: post factum vero, et post defraudatum tributum, si poenitens certo vel probabiliter sibi persuadeat, in tanta tributorum multitudine esse aliquod iniustum, quod ipse solvit, vel multitudinem ipsam esse nimiam et excessivam, vel se, attenta qualitate suae per-

sonae, et negotiorum, ex reliquis tributis, quae non defraudavit, competenter contribuisse ad necessitates publicas, non esse cogendum a confessario ad restitutionem; hac tamen doctrina prudenter, et cum dexteritate magna utendum esse, solum ne sacramentum poenitentiae reddant nimis grave, et ne viam salutis praecludant multis, qui esto a confessario obligentur, non restituent, et aeternam damnationem incurrent. Caeterum curandum esse, ut semper populus ad obediendum principibus obligetur, ut et reipublicae pax, et obedientia, ac reverentia principibus debita conservetur.»

Videri potest et Gury a n. 740.

Et sic communiter concludunt non debere moneri de malitia fraudis, qui in bona fide versantur, nec de obligatione restituendi, si rationabiliter iudicetur, monitionem haud fore profuturam, prout in praesenti materia communiter iudicandum. (V. Bouvier loc. cit. in fine).

Ponitur secunda sententia.

Secunda sententia in universum docet, omnia vectigalia et tributa, de quibus est quaestio prout ex praemissis, sive directa sive indirecta, etiam ex consensu populi per modum collectae imposita, maxime quae per statuta et leges imponantur adiunctam poenam temporalem habentes, non obligare in foro conscientiae ad eorum solutio-

nem, sed ad solam poenam per leges impositam post iudicis sententiam.

Probatur 1°. haec sententia, quia haec tributa ordinarie imponuntur per legem nullum continentem verbum praeceptivum, sed tantum verba *statuimus, ordinamus,* ut quilibet solvat tale quid sub poena cadendi in talem mulctam, qua forma non significatur obligationem imponi in conscientia ad solvendum illud quod directe postulatur, sed tantum postea debere quempiam solvere mulctam, si damnetur ad illam, et parere iudicis sententiae, si intercedat.

Confirmatur: quia lex pure poenalis non obligat nisi ad poenam post iudicis sententiam, ut valde communis tenet sententia et docet S. Alph. (lib. 1. 145.). Talis autem dicenda est haec lex tributorum, saltem pro casu quo nullum verbum praeceptum inducens contineat; ergo.

Probatur 2°. quia ut vult Navarrus (Manul. c. 23. 55.) leges humanae praesertim civiles etiam praecipientes, quae poenam temporaneam constituunt non praesupponentes aeternam, in dubio an etiam obligent sub peccato, censenda sunt sub peccato non obligare, ita ut posito quod nullo alio titulo illa res, quae talis legis materiam constituit, praecipiatur, non inde sub peccato prohibeatur. Hoc autem, prout vult Navarrus, si iuste defendi potest, defendi debet, quia convenit ut leges humanae, quae ad mortale obligent paucae sint; et probat insuper pluribus rationibus; tum

quia in dubio iudicare debemus legem esse minus strictam et poenalem (C. odia 15. C. In obscuris 30., C. In poenis 49. de Reg. iuris in 6.) tum quia sicuti qui de duobus propositis alterum affirmat, alterum videtur excludere, (c. Nonne 5. de praesumpt.), ita legislator, qui ad poenam aeternam et temporariam potest obligare, hanc irrogando illam excludere videtur.

Tum quia consuetudo antiqua ita videtur has leges interpretari praesertim saeculares, de quarum transgressione non consuevit concipi scrupulum neque a doctis, neque ab indoctis, neque a poenitentibus, neque a confessariis, neque ab aliis cuiusvis conditionis, ordinis vel sexus hominibus, nisi cum per eas etiam lex divina naturalis, aut revelata, aut lex canonica infringeretur.

Tum quia gentiles legumlatores de poena aeterna nil curarunt, et paucissimi saeculares ex Christianis reperiuntur, qui quando has leges ferunt, et aliquam poenam temporalem imponunt, dicant suam intentionem esse ad poenam aeternam etiam obligare, ad quam lex divina vel naturalis non obligat.

Quae praesumptio pro nostro casu crescit ex eo quod non ignorent principes homines consuevisse tributa fraudare, et multos graves doctores docere, confessarios non statim debere illos ad restitutionem adigere, imo etiam valde plures velle eorum leges, quae poenam temporariam adiunctam habent, illas saltem quae tributa prae-

cipiunt, de quibus est quaestio, non obligare in conscientia nisi ad poenam statutam post iudicis sententiam, et nihilominus taceant, quum uno verbo possent totam quaestionem dirimere. Nonne hic literaliter potest applicari Reg. iuris (57. in 6.). Contra eum qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda?

Hinc refert Lugo (n. 41.) de Hispaniae rege Filippo II, quod eius ministris conquerentibus, eo quod multi tributa et vectigalia defraudarent, responderit: « sinite eos, furantur enim de suo. » Quo responso satis indicavit, per suas leges tributa imponentes noluisse constringere conscientias ad culpam.

Quae adhuc praesumptio magis magisque crescit ex eo quod hodie, ut notat Rousselot (p. 157. n. 5.) supremi imperiorum moderatores nusquam ad conscientiam, immo nusquam ad religionem populos provocant, sed dum innumeros custodum, praepositorum, exactorum exercitus sibi conscribunt ad vectigalia aliaque tributa exigenda, omnino iis magis confidere videntur, quam subditorum conscientiae; hanc igitur ipsos suis legibus constringere voluisse haud censendi sunt; immo ex ipsorum agendi ratione contrarium erui potest.

Idque confirmat Navarrus (56.) ex eo quod aliqui ut Henr. et Sylvester, item alii cum Beia, quem adducit et sequitur Duardus inf. citand. (n. 18.) nullam ponant realem distinctionem in-

ter legem pure poenalem, idest quae constituit poenam absque aliqua prohibitione, et legem mixtam, quae prohibet et poenam decernit. At legem pure poenalem tantum obligare ad poenam, prout iam innuimus, est doctrina satis recepta, ergo idem erit dicendum de lege mixta, eo quod, aiunt, non distinguatur a pure poenali nisi quoad verborum formam.

Probatur 3°. quia dato quod leges tributa imponentes voluerit obligare in conscientia etiam ad obiectum primum et fuerint morales, videtur quod contra illas quatenus praecipientes tributorum solutionem in conscientia ante iudicis sententiam praevaleat consuetudo. Nam sicuti lex in nihilo recepta vel in toto abrogata in nihilo obligat, ita lex in una solum parte recepta, vel quoad omnes alias partes abrogata in illa tantum parte obligabit, et sic potest contingere quod aliqua lex obliget quoad suam dispositionem principalem et non quoad poenam, vel vicissim. Nunc vero consuetudo, de qua testatur Navarrus, si non valet ad interpretandam legem, bene valere potest ad praescribendum contra ipsam, et per consuetudinem posse legem abrogari, nullus dubitat, et illam consuetudinem omnibus temporibus viguisse superfluum videtur probare, et fatentur passim DD. Duardus in Bulla Coenae (can. 15., q. 12.). Diana, Vogler ex parte, et de nostra aetate ait Gousset (999.) in Gallia esse generalem opinionem, quod ille solus teneatur solvere, la regie,

la duane et l'octroi, qui custodum et exactorum vigilantiam eludere haud valeat.

Qua posita consuetudine vel legem interpretante vel contra ipsam praescribente et certitudine etiam antecedente quod lex in hoc solum sensu observabitur, si nihilominus legislator obligaret in conscientia, ut tributa solverentur rigoroso modo, (ex Lugo 41.), non deserviret illa lex nisi ad illaqueandas animas subditorum sine fructu, et per consequens iam ex hoc capite esset inutilis et invalida. Sed quidquid sit de hac certe haud spernenda ratione, argumentum a consuetudine, de qua dicimus, deductum, magni omnino ponderis videtur pro casu nostro quo potestas legislativa leges tributorum indicens, de quibus est quaestio, aperte non reprobat consuetudinem, quam scit contra has suas leges vigere, nec clare declarat velle aliter obligare ac homines communiter apprehendant, maxime cum accedant non ignobiles DD. qui doceant ex illa lege sic constituta non exurgere maiorem obligationem, nec strictiorem ac ea quam agnoscit et ponit consuetudo.

Probatur 4°. quia interpretando has leges in hoc sensu ut solum obligent ad mulctam qui in fraude fuerint deprehensi, servatur aequalitas iustitiae, quae ad talem obligationem necessaria est. Hoc enim modo non defraudatur publica necessitas opportuno subsidio, quia per adiectionem poenae compensatur quidquid per fraudationem

tributi ex alia parte potest amitti : ergo poena imposita est ad compensandum vel potius vitandum nocumentum publicum, quo cessante cessat etiam obligatio in conscientia solvendi tributum vel ex ipsa rei natura, quum nulla sit inaequalitas, vel ex ipsa intentione legislatoris rationabiliter praesumpta.

Quae praesumptio, dicunt DD., augetur ex eo quod passim videantur principes tributa imponere in ea quantitate, qua excederent causam necessitatis, ob quam imponuntur, si integre solverentur; unde concludunt, ne dicantur principes peccare tributa plus aequo imponentes, tenendum illos tantum velle obligare ad illorum solutionem praedicto modo et non aliter, et sic interpretatae hae leges fiunt magis moderatae et tolerabiles, nec etiam iniustae, quia propter periculum ne totum exigatur id quod petitur, potest peti quid magis. Et quamvis nostris temporibus in omni fere republica vix possibile videatur ut possint tanta tributa imponi, ut excedant publicam necessitatem solvendorum debitorum contractorum, non inde tamen cessat praesumptio supradicta; nam tributa quae imponuntur, si integre solverentur, notabiliter etiam nunc excederent summam quam lex intendit percipere, ob publicam necessitatem determinatam, pro qua imponuntur.

Similiter tributa fraudantes exponunt se periculo solvendi mulctam, si in fraude deprehendantur, et publicum aerarium sic invenitur in

casu illam lucrandi. At sicuti publica potestas licite et iuste potest fraudantem damnare ad mulctam et illam sibi postea retinere, sic ex alia parte videtur quod non solventes tributa possint licite et iuste sibi retinere quod fuisset solvendum, usquedum non deprehendantur.

Equidem lex potest aliter statuere et iustam sibi facere facultatem percipiendi poenas pecuniarias moderate et debita auctoritate inflictas, quin per hoc facultatem debeat conferre unicuique legem eludendi, sed illud videtur valde rationabile, et posse non immerito praesumi et teneri quousque non constet de contraria legislatoris voluntate.

Praecipuus undequaque huius sententiae patronus est Navarrus, qui illam indicat C. Fraternitas (c. 12. q. 2. a n. 41.) et Manuali (c. 17. 200.), et illam ex professo firmat eodem Manuali (c. 23. n. 55.), quamvis id ibi potius deducit ut consequentiam suae sententiae, qua vult omnem legem praesertim saecularem, de materia non aliunde praecepta per aliam legem, si habeat poenam temporalem adiunctam non praesupponentem aeternam, non obligare sub culpa quoad obiectum proximum, licet lex illa verbis praeceptivis promulgetur, nisi clare exprimat velle et in conscientia quoad dictum obiectum proximum obligare. Et sic pro eadem sententia, quae mitiorem ponit obligationem quoad tributorum solutionem, possunt citari quotquot dicunt cum Navarro leges mixtas non obligare ad culpam in dubio an id

etiam velint, quod cum Mazzotta (tract. 1. disp. 2. q. 2. c. 1.) tenent plures quos passim invenies apud AA. et praecipue apud Diana (Coord. tom. 6. tract. 1. 77.), quorum alii hanc sententiam saltem cum ipso Diana probabilem et tutam dicunt.

Eandem sententiam quoad tributorum solutionem fuse defendit et firmat Duardus in Bulla Coenae, (can. 15. quaest. 12.) et plures alii qui passim citantur, ut Henricus Gand., Tabiena, Angel. penes Sanchez (6. 4. dub. 1.), et illam ex parte admittunt alii cum Sa. V. Gabella (n. 6.), et ut probabilem videntur habere plures DD. cum Diana (Coord. tom. 6. tractat. 1. resolut. 76.), et cum ipso Lessio (lib. 2. c. 33. 56., et praecipue 55.). quamvis hic auctor prae ceteris primae sententiae fautoribus, quantum video, validioribus argumentis dictam primam sententiam probare conetur; et S. Alph. (lib. 3. 616.) dicit huius sententiae rationes non videri contemnendas, et Sporer. (tract. 5. Decal. 6. 5. 149.), illam dicit per accidens et plerumque veram.

Similiter dictam secundam sententiam quoad solutionem tributorum tenet ex parte Rousselot, in notis ad theol. moral. Sttler (pag. 155.), et quoad tributa indirecta Scavini (tom. 2. 648.) dicit non carere sua autoritate et probabilitate, et illam in aliquibus praecedentibus editionibus gravissimam dixerat, et in illam etiam aliqualiter quoad eadem tributa indirecta videtur inclinare Gury (tom. 1. 738, 739.).

Distinctio tamen, quam pro hac quaestione de obligatione legis tributorum in conscientia afferunt alii ex citatis recentioribus inter tributa directa et indirecta, et illorum assertio qua alii, ut Scavini, volunt nullum esse dubium, quod tributa directa solvenda sint eo modo quo vult prima sententia, non videtur sat valido fundamento niti, et quidem ex una parte nec ipsi quod statuunt probant, nisi ad summum in quantum pro directis, vel pro aliquibus ex illis adducunt aliquas ex rationibus quas pro se adducit prima sententia, quasque nos retulimus; et ex alia parte dum referunt rationes, quae militant pro indirectis, easdem rationes praecise adducunt, quas pro se affert secunda sententia, quaeque tam pro directis quam pro indirectis facere videntur, illa si excipias de quibus in praemissis. Non ergo plus cogimur hanc distinctionem amplecti, nec maiorem agnoscere obligationem quoad tributa directa, ac cogamur sequi primam sententiam, relicta secunda, cui potius, mihi videtur, ut probabiliori subscribendum saltem propter plura eius fundamenta.

Argumenta primae sententiae infirmare curatur.

Iuvat nunc argumenta primae sententiae excutere, et si possibile sit enervare. Ad primum dicendum, auctoritatem Domini nostri non videri ad rem. Nam aliqui, ut Mariana, dicunt loco adducto fuisse quaestionem de tributo quod erat tem-

plo dicatum et per Moysem praeceptum (Exod. XXX. 12.) alii, ut Dominicus Bannes, dicunt Christum Dominum respondisse independenter ab interrogatione, quae ei facta fuerat et velut conditionate dicendo: si quid Caesari debetis reddere, reddite. Cui interpretationi non parum videtur favere, advertere Christum Dominum non fuisse interrogatum, an census deberet solvi, sed an posset. Non enim Christo dixerunt Pharisaei ; an obligemur dare censum Caesari? Sed: *licet censum dare Caesari an non?* Et eidem interpretationi subscribunt et alii apud Roherbacher (lib. 23. Histoire Universelle de l'Eglise Catholique). Alii dicunt, ut Aestius, ibi fuisse sermonem de censu, qui erat solvendus in recognitionem iusti dominii eiusdem Caesaris, et in professionem debitae dependentiae ab eodem, quo in casu hoc tributum aliquid sibi valde peculiaris habere videtur.

Sed quin aliquid praedictis opinionibus subtrahamus, admisso Christum Dominum absoluto sensu, et de omnibus tributis fuisse locutum, non inde tamen videtur controversiam nostram fuisse diremptam. Nam sicuti Caesari nullomodo solvenda sunt tributa, quae ipse non imponit, sic et quae imponit non sunt solvenda alio modo ac ipse idem exigit, at quae est eius voluntas quoad solutionem tributorum de quibus est quaestio? Auctores secundae sententiae contendunt, ipsum non intendisse obligare alio modo ac ipsi dicunt. Dicere Dominum nostrum per illa sua

verba voluisse statuere nullam posse dari legem pure poenalem, aut talem saltem in posterum nunquam futuram legem fuisse tributorum, est, prout saltem mihi videtur, nimis alienum a mente Ecclesiae.

Et ad exemplum Domini nostri solventis staterem patet responsio; non enim omnia quae fecit Christus posuit in praecepto, alioquin et nos deberemus solvere tributum per didrachmam miraculose inventam. Ex facto Christi ne subtilius in illud inquiramus posset argui perfectius esse solvere tributa eo modo quo vult prima sententia. Id nos abunde admittimus, sed praesens quaestio non est de eo quod sit perfectius, sed de eo quod sit in praecepto.

Item videtur posse responderi ad verba B. Apostoli Pauli. Nam et secunda sententia admittit et contendit dari in conscientia aliquam obligationem circa cuiuscumque generis tributa, quae iusta sint, et non solum propter iram sed et propter conscientiam solvenda esse, prout vult Apostolus, omnia et singula tributa; at non videtur in ullo contradicere B. Apostolo, si addat, solvenda tributa quando et quomodo lex quae tributa assignet praecipit. At iterum quod est legis praescriptum? Quae voluntas legislatoris circa naturam obligationis? Lex tributum imponens in casu quaestionis est pure poenalis vel qualis? Hasce quaestiones B. Apostolus Paulus loco citato non videtur persolvisse, nec Ecclesia usque nunc de-

finivit, et circa illos theologi in varias abeunt sententias.

Possent et aliae responsiones adduci fortasse non improbabiles, sed quod diximus videtur abunde sufficere ad probandum minus bene adversarios contendere illorum sententiam statuere in citata Apostoli auctoritate.

Ad auctoritatem divi Augustini respondemus, locum nobis primo loco obiectum nil pariter concludere contra nos.

Iste locus iam fuerat relatus, meo saltem iudicio, in iure canonico C. omnis anima 2. de censibus; at si ex dicto loco potuisset S. Raymundus colligere totum id quod arguunt adversarii, sic iudicandum est quod collegisset quidem; at S. Raymundus inscripsit in iure haec pauca verba quae sequuntur « et vos subditi esse debetis, ideo enim tributa praestatis, quia haec est probatio subiectionis. »

Verum arbitror quod sufficiat referre verba ipsius divi Augustini, qui adductis illis Apost. verbis: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* non est *enim potestas nisi a Deo;* subdit « Rectissime monet, ne quis ex eo quod a Do- » mino suo in libertatem vocatus est, factusque » christianus, extollatur in superbiam, et non ar- » bitretur in huius vitae itinere servandum esse » ordinem suum, et potestatibus sublimioribus, » quibus pro tempore rerum temporalium guber- » natio tradita est, putet non se esse subdendum.

» Cum enim constemus anima et corpore, et » quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam » rebus temporalibus ad subsidium degendae huius » vitae utamur, oportet nos ex ea parte, qua ad » hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, » idest, hominibus res humanas cum aliquo ho- » nore administrantibus. Ex illa vero parte qua » credimus Deo et in regnum eius vocamur, non » nos oportet esse subditos cuiquam homini id- » ipsum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad » vitam aeternam donare dignatus est. Si quis » ergo putat quoniam christianus est non sibi » esse vectigal reddendum, aut tributum aut non » esse exhibendum honorem debitum eis quae » haec curent potestatibus in magno errore ver- » satur. »

Restat nunc ut adversarii indicent ubi divus Augustinus dicat in relatis verbis legem tributum imponentem obligare in conscientia etiam ad obiectum proximum. Quantum ad nos dicimus quod et in nostra sententia salvatur totum id, quod dicit Magnus iste Doctor quoad tributa, scilicet illum magno in errore versari, qui putat non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis quae haec curant potestatibus, si christianus esse velit, et multo magis si arbitraretur supradicta sibi licere ideo quia christianus, qui sensus magis videtur proprius textus D. Augustini.

Quare si inde poterit quis concludere legem

tributorum obligare in conscientia, non poterit unquam colligere obligare hoc potius quam alio modo.

Secundus D. Augustini textus, quem tam clarum pro sua sententia rigidiori videt Concina (De Legib. diss. 5. c. 5. VI.) forsitan nec nobis est oppositus.

Et 1°. illa verba: « neque enim fraus ista quia fisco fiebat : ideo non fiebat » quae non paucis ex adversariis prorsus sufficiunt ad intentum, per se manifeste nihil concludunt, quia est prius videndum obiectum circa quod fraus ista versabatur, nam si obiectum fraudis erat aliud ac tributorum fraudatio, non potest de hac ex illo iudicari.

Iamvero in toto hoc textu si quid habet Augustinus de tributorum fraudatione est in illis verbis : « ut etiam ex illis (agellis) morem suum sequens, cum fisco non solveret, nullas exactorum molestias pateretur » vel in illis « et cum posset pro solis fiscalibus debitis quae de memoratis possessiunculis ille contraxerat imperiale beneficium postulare. »

At prima verba potius videntur indicare, quod ille Paulus illos exiguos agellos sub nomine potentissimae domus sibi comparavit, ut sic sequeretur morem suum in retinendo pondere argenti, quod fisco erat obnoxium propter immensum cumulum fiscalium debitorum, (quam debitorum originem Augustinus ibi non aperit) et sic molestias

exactorum qui venturi fuissent non ad tributa exigenda, sed ad agellos confiscandos pro prioris debiti compensatione non pateretur. Hic, dico, videtur sensus facilior horum verborum.

Alia vero « et cum posset pro solis fiscalibus debitis quae de memoratis possessiunculis ille contraxerat imperiale beneficium postulare » equidem videntur alludere ad debitum contractum pro non soluto tributo, ob quod potuit ille Paulus fieri debitor de memoratis possessiunculis : sed si vere hoc sibi volunt D. Augustini verba, potius, prout et res ipsa videretur patefacere, esset sermo de tributo reali super agros imposito, a quo exempta fuisset iudicanda potentissima illa domus, sub cuius nomine agelluli empti fuere, et nos de istis non disputamus, et si de istis tributis loquitur Augustinus nil opponitur nostrae sententiae; haec enim cum ipso dicimus esse solvenda vi solius legis illa postulantis prout in praemissis. Caeterum adversariorum est omnino in claro ponere sensum verborum Augustini, et ostendere ubi vere sit de nostra quaestione. Non enim sufficit longum D. Augustini textum referre, et postea affirmare hanc potius vel illam opinionem in illo textu haberi, sed an vere haec potius sententia habeatur etiam probandum est; et forsitan non tam facile firmabunt adversarii punctum quaestionis ex citato D. Augustini textu.

Ad auctoritatem Tertulliani quam nobis opponunt adversarii respondeo. Tertullianum in ad-

ductis verbis spectasse ad quaestionem quae hic disputatur, fortasse dum illa cum toto contextu perpenderent, non omnino perspicuum fuisse collationibus Andeg., quae proinde sibi assumpserunt dictum Tertulliani textum interpretandi et clariorem reddendi. Haec est autem interpretatio, et haec est declaratio quam afferunt, quam ego hic subdam iisdem verbis ac tradunt praelaudatae Collat., ne forte videar aliquid illi detrahere voluisse. Dicunt ergo: Vous dévez vous apercevoir, dit–il aux Empéreurs, combiens depuis la Religion chrétienne vos revenus sont augmentés par notre fidélité à payer les tributs. Nous croirions faire un larcin que de n'avoir pas sur ce point une entière exactitude, et ce ne serait pas selon nous conserver notre bien; ce serait voler le public. »

Ibi autem praefatas collationes adducere et interpretari textum Tertulliani, qui affertur pro prima sententia, et quem nos retulimus patet tum ex nota quam ipsae apponunt, tum ex eo quod in toto Apologetico, non alia datur sententia, cui magis niti, ratione valeant.

Sed quoniam praelaudatae collationes in eo erant, ut sententiam dictam Tertulliani manifestam facerent, videtur quod et magis explicitam et concludentem facere debuissent, tandem enim non omnis scrupulus videtur fuisse ademptus, sicut et non omnino pro prima sententia videtur probare textus Tertulliani in illius probationem relatus.

Nam et nos dicimus tributa deberi in conscientia, et etiam admissa nostra sententia, non parvus relinquitur locus exactitudini et fidelitati. Etenim et in nostra sententia non excusatur saltem a peccato contra veracitatem, qui ad fraudanda tributa mentitur; etiam in nostra sententia peccat, prout videbimus infra, qui vellet vi et armis a tributorum solutione se eximere ; etiam in nostra sententia non licet ministros ad tributa exigenda praepositos quocumque modo corrumpere, et multo magis etiam in nostra sententia non licet corrumpere iudices ad quorum tribunal aliqua de tributis causa deferatur.

Solum nos disputamus de natura et extensione obligationis quam imponit in conscientia lex tributorum, et de hoc puncto nil habet Tertullianus neque in suo Apologetico, neque in collat. Andeg. cum quibus dicimus et nos in pluribus casibus adhuc retenta nostra sententia posse publicum expilari, et dum Tertullianus gentes reprehendit eo quod multum publico pereat fraude et mendacio suarum professionum non videtur reprehendere nostram sententiam, et dum gentilium licentiae opponit christianorum fidelitatem, istos primae sententiae non ideo facit subscribere.

Insuper adversarii optime se gerere viderentur si in lumine ponerent quid sub verbo vectigalis intenderit Tertullianus. Nam praeterquamquod ibi Tertullianus longe fuisse videtur a nostra quaestione, fortasse non est absque utilitate memorari

apud antiquos Romanos appellata fuisse vectigalia quae exigebantur ex agrorum cultu, et ex pascuis, quamvis et id vectigalia comprehenderent, quod ex mercium traiectione erat solvendum quod post Budaeum et Ciceronem tradit Navarrus (C. Fraternitas 48.) quae omnes species tributi, si accurate spectentur videntur magis accedere ad illa, quae in omnium sententia solvenda diximus. Et quidem de tributo ex agrorum cultu patet, de eo ex pascuis etiam videtur constare, nam id debebatur etiam ex vero contractu, ut magis videtur probabile, quia pascua, prout videtur argumentandum, erant reipublicae, quod etiam confirmatur ex eo quod et dicebatur scriptura, quod magis indicat interfuisse contractum ; de eo vero quod percipiebatur ex mercatorum navigatione esset videndum quomodo et qualiter esset statutum, nam si respublica quamdam tantum privativam, ut ita dicunt, habuisset, patet quod saltem ex parte illud fuisset debitum ex contractu, et in iustam compensationem utilitatis, quam respublica mercatori conferebat merces traiiciendo.

Tempore autem Tertulliani probabile est quod nondum illam significationem verbum vectigal amiserit, si tamen ad nostram disputationem facit Tertulliani textus, praecipue quum videamus posteriori tempore in Pandectis, teste Suarez, (c. 13. 2. ex lege 1. et 2. « Si ager vectigal ») idem verbum vectigal retinere significationem, quae non solum non convenit, ut aliqui volunt

illis tributis quae nos dicimus indirecta, sed solum convenit illis, quae nos dicimus ex omnium sententia solvenda esse in conscientia utpote ex contractu debita, nam ibi vectigal significabat pensionem quae pendebatur ex terris, quae a principio ad principum sustentationem fuerunt applicatae, quasque ipsi in emphiteusim vel feudum aliis donarunt.

Sed videtur posse concedi adversariis totum id quod habent in votis, et posse admitti Tertullianum et sui temporis christianos eandem opinionem dividere cum AA. primae sententiae, quin tamen cogamur inde a nostra sententia recedere.

Nam multae leges possunt per consuetudinem moderari, ut illa quae hodie uno modo obliget, aliter urgeat alio tempore, sicut et multae possunt per contrariam consuetudinem abrogari, ut de facto evenit quoad plures etiam ecclesiasticas.

Hinc ex eo quod v. gr. tempore Tertulliani leges tributorum obligabant eo modo quo vult prima sententia, non sequitur quod propter consuetudinem aliter nunc illas leges interpretantem vel contra illas quoad partem obligationis praescribentem, non possit quis aliter circa illarum vim et obligationem sentire.

Iamvero dari consuetudinem quae illarum legum obligationem valeat limitare, etiam dato quod olim originarie urgentiorem obligationem praeseferrent, constat ex probationibus secundae sententiae, et etiam ex dicendis constabit hanc con-

suetudinem habere debitas conditiones ut possit subsistere; ergo.

Hoc autem argumentum etiam videtur valere ad confirmandam aliqualiter auctoritatem multorum theologorum, qui primam sententiam sequuti sunt, quorum plures si hodie scriberent, probabiliter in nostram concederent sententiam, propter consuetudinem introductam, quae sic obligationem legis tributorum in conscientia moderatur ut iam obligèt solum prout vult secunda sententia.

Ad auctoritatem catechismi Tridentini videtur facilis responsio, et ni error, sufficit et textum praefati catechismi referre; ait igitur (n. 10. loco cit.): « in hoc crimine rapacitatis includuntur, qui, quae Ecclesiae Praesulibus, et Magistratibus debentur, vectigalia, tributa, decimas, et reliqua huius generis non dissolvunt, vel intervertunt, et ad se transferunt. »

Totum hoc et docet secunda sententia; solum est quaestio ut videamus quando tributa et vectigalia debeantur et qualiter; de hac quaestione nil loc. obiecto habet laudatus catechismus, ergo nil contra nos; sicut et nil facit pro prima sententia.

Ad auctoritatem cleri Gallicani anno 1700., prohibentis propositionem quae nobis opponitur, nonnulli aliquantulum malitiosi malitiose aliqualiter respondent, et inter istos aliqui etiam animadvertunt, quod tandem propositio non est prohibita sub anathemate. Alii auctoritati auctoritatem op-

ponunt, et in sensu secundae sententiae dicunt fuisse Bononiae decisum prout testatur Beia penes Duardum. Caeterum propositio prout iacet damnatur et ab AA. secundae sententiae, et damnatur quidem ut seditiosa, et apostolicae doctrinae contradicens, prout damnata dicitur a Clero Gallicano, et videtur quod possent et aliae notae illi inuri; nullus enim in nostra sententia dicit, quod «subditi possunt iusta tributa non solvere.» Omnes dicimus tributa iusta esse solvenda propter conscientiam, sed addimus id, quod nullus negabit, solvenda ea obligatione et modo, quem lex ipsa decernat; sed an obliget lex prout vult prima aut secunda sententia, non potest argui ex propositione damnata a Clero Gallicano, quia de hoc non est verbum in illa; ergo illa nil probat contra nos, et nil probat pro prima sententia.

Ad primum arg. ex ratione desumptum concedimus tributa deberi iure naturae, sed non ob hoc sequitur quod debeantur eo modo quo vult prima sententia, nam potest satis fieri debito naturae etsi solum ponamus eo modo deberi quo contendit secunda sententia. Nam etiam posito quod lex tributa de quibus est quaestio imponens non obliget in conscientia ad illorum solutionem nisi post iudicis sententiam, non inde veniet quod necessaria subsidia ad bonum societatis deficere debeant, quae esset tota ratio cur tributa debeantur iure naturae. Nonne est generalis opinio non solum in Gallia, ut dicit Gousset, sed, ut saltem

videtur probabile, in omnibus regionibus quod non obligent tributa in conscientia? Et tamen in omnibus regionibus tributa sufficienter solvuntur quantum intendit publica potestas quae illa imponit, et quantum est necessarium ut stet respublica; ergo ad obtinenda necessaria subsidia ad bonum publicum minime est necessarium quod tributa solvenda imponantur sub culpa, sufficit ut sic imponantur sub poena. Praecipue quia semper retinet societas potestatem plenam et integram, qua in aliqua urgentiori necessitate possit, si opportunum id iudicaverit, strictiori modo eius singula membra compellere ad debitum subsidium conferendum.

Dices: si ponamus leges tributorum solum obligare eo modo quo vult secunda sententia, multi sic qui ad tributa fraudanda feliciter pervenient nihil contribuent ad publicas necessitates, et isti sic non solventes eximuntur absque culpa a satisfaciendo debito naturae, quod erga Rempublicam habent.

Respondeo hoc non obstare quominus lex possit solum sub poena obligare, ut optime probant rationes quas affert Lugo (42.): 1°. quia quod aliqui in casu particulari exempti inveniantur a solutione tributorum est per accidens: 2°. quia multi de facto semper fuere qui exempti habebantur a solutione tributorum, nec inde aliquis unquam dixit, legem illam qua parte hos eximebat esse iniustam, posito quod rationabili et sufficienti

causa id fieret. Imo et nostris temporibus plurimi sunt qui ingentes divitias et immodicos redditus percipiunt ex schedulis publici aerarii, et schedulis quibusdam commercialibus super quos saltem pluribus in locis nullum tributum penditur, aut pro quibus saltem multo tempore nullum fuit tributum indictum. At nullus theologus, ut arbitror, aliquem ex istis adegit, aut vellet obligare ad aliquid solvendum pro publicis necessitatibus etsi nulla lege ad id compellantur propter rationem, quia isti debent debito naturae ad publica gravamina concurrere. Unusquisque enim ad publicam necessitatem debet concurrere quantum per publicas leges statuitur, et etiam eo modo quo per easdem leges decernitur, et idem ius naturae quod iubet conferri subsidia necessaria ad societatem sustinendam, eiusque bonum promovendum, simul iubet ut conferatur secundum leges eiusdem societatis, posito quod aliunde hae leges iustae sint, et hoc negare, videtur societatem ipsam destruere.

Primum ergo adversariorum argumentum nihil probat contra secundam sententiam, quia concesso quod ibi adversarii sibi volunt, adhuc potest stare secunda sententia.

Comparatio vero inter obligationem solvendi decimas et solvendi tributa nihil evincit. Nam concedimus et contendimus decimas qua parte necessariae sunt ad congruam ministrorum sustentationem et dicuntur decimae sustentationis,

iure naturae deberi; et si concedimus et contendimus illas deberi ante omnem iudicis sententiam; id arbitramur non ex eo solo probari quod iure naturae debeantur prout et iam diximus de tributis, et etiam fiet clarius ex dicendis. Nam decimae, quo respectu in determinatione tantae partis consistunt et dicuntur decimae quotae, debentur per legem, quae non solum determinat quantum quisque iure naturae (ut etiam undequaque admittamus argumenti adversariorum fulcimentum) debeat solvere, sed etiam determinat illud solvendum esse ante omnem iudicis sententiam. At haec determinatio quae ex communi sententia habetur in lege decimarum, et vi cuius datur obligatio ad obiectum proximum, non constat haberi in lege tributorum: ergo. Nec contra rationes quibus nititur sententia quae in tributis solum agnoscit obligationem illa solvendi post iudicis sententiam quid valere videtur argumentum desumptum ex obligatione solvendi decimas, nam ex eo quod una lex obligat uno modo non sequitur quod et alia, ex eo quod habeat aliquam analogiam cum illa, debeat eodem modo obligare: ergo.

Quamvis dicendum decimas tum sustentationis tum quotae deberi ex contractu saltem tacito, nam fideles dum acceptant ministrum Ecclesiae ad suarum animarum curam saltem tacite se obligant ad sustentationis stipendium illi conferendum et ea quantitate quae per decimas taxatur;

in tributis autem non est sic, nam haec debentur ex lege tantummodo.

Vis cum Lessio, Billuart utraque deberi ex contractu? sit; sed in casu decimarum termini contractus sunt: vos admistrationem spiritualem nobis praestabitis, nos tale stipendium sustentationis respondebimus vobis; e contra in tributis termini contractus sunt: vos administrationem politicam nobis praestabitis, et nos (nota) legibus vestris paremus. At istae leges tributorum quomodo obligant? En punctum quaestionis contra quod nil evincere dicimus adversariorum argumentum.

Ad primam confirmationem respondetur: Distributa in singulas reipublicae partes obligatione, quam habet respublica ipsa erga publicam potestatem, et assignata cuique sua portione, et determinatis rebus ex quibus solvenda sit, singuli tenentur erga publicam potestatem eadem obligatione, qua tenebatur societas ipsa: Distinguo: si illa generalis obligatio in singulos distributa et cuique assignata nil fuit immutata, vel in eo actu quo distribuebatur, vel postea per aliquid quod posset illam obligationem immutare; concedo, secus nego. At illa obligatio quoad tributa de quibus est quaestio vere fuit immutata, vel, secundum Navarrum, dum distribuebatur, vel saltem postea, per legittimam consuetudinem; saltem adversariorum argumentum non probat hanc mutationem quoad naturam obligationis non potuisse intervenire; ergo etc.

Imo si verum est quod tributa originarie debeantur, ut vult ipse Lessius cum aliis ex contractu inter populum et principem, videtur bene posse presumi quod noluerit populus in principem transferre potestatem, qua ipse posset strictiori modo populum ligare ad eum finem, quem posset princeps non minus bene, moraliter loquendo, obtinere, populum mitiori modo ligando. At factum probat, ut supra diximus, publicae necessitati aeque subveniri etiam posito quod tributa solum imponantur solvenda in conscientia post iudicis sententiam, ergo potius concludendum contra adversarios.

Ad secundam confirmationem resp. Si verum est quod adversarii dicunt, plerumque tales leges iniustae forent, eo quod, ut dictum est supra in probationibus, tributa in maiori quantitate soleant imponi ac non exigat causa illa particularis, ob quam imponuntur, et iam saltem non obligarent pro rata excessus. Hodie, ait Rousselot (p. 157. n. 7.), Principes in immensum exaggerant omnia mercium, et praescriptionis iura, propter praevisas fraudes; dicere autem sic leges tributorum esse quoad partem iniustas et non obligare, esset statuere inconveniens maximum, quia esset omnem subditum, qui debeat tributum solvere, iudicem instituere in propria causa quousque teneatur solvere; nemo autem non videt plurima mala ex hoc sequi, quorum forsan erit minimum totam legem labefactari. Ne igitur dicamus pote-

statem publicam haec maxima inconvenientia velle, dicendum velle tantum obligare ut secunda dicit sententia.

Ad secundum arg. ex ratione resp. Leges iustae et praecepta iusta superioris obligant secundum intentionem legislatoris. Nunc pro casu quaestionis statuimus supra in respons. ad primum legem tributorum loquendo de possibili posse ex parte materiae obligare solum sub poena, et eo modo quo dicit secunda sententia. Item dicimus posse ex parte finis, quia dato quod tributa non imponantur eo modo quo vult prima sententia, sed solum prout vult secunda, non inde periclitatur respublica. Idem posse ex parte formae non indiget probatione, et docet S. Thomas (2. 2. q. 186. art. 9. ad primum, et S. Alph. lib. I., 145.) et est communis theologorum sententia confirmata ex Reg. iuris 23. in 6: Unde sola remanet quaestio de facto, an scilicet lex voluerit hoc vel illo modo obligare. Quoad leges, qui nullum continent praeceptum solvendi tributum, sed dicunt simpliciter solvendum quin verbum praeceptivum adhibeant, etsi poenam statuant, est valde commune et receptum inter theologos quod solum obligent ad poenam post datam a iudice sententiam. Quoad vero leges quae tributum imponunt verbis praeceptivis et simul poenam statuunt non solventibus, an etiam obligent ad poenam post iudicis sententiam, vel etiam obligent in conscientia ad illius tributi solutionem, quod praecipiunt,

est inter DD. discrepantia, et circa hoc tota versatur praesens disputatio. Equidem communior sententia affirmat dari obligationem in conscientia etiam ad obiectum proximum, sed non ignobiles DD. contrarium sustinent, quod pro casu quaestionis propter consuetudinem sic interpretantem has leges, vel contra strictiorem earundem obligationem praescribentem, mihi videtur valde probabile. Et sicut nec valemus nec volumus litem dirimere nostram statuendo sententiam illam solummodo asserentes, sic pariter existimamus nec illam definiri per contrariam adversariorum assertionem, quae nobis opponitur.

Ad confirmationem resp. Potuisset respublica, et posset et potest princeps et quaecumque publica suprema potestas singulos obligare sub culpa directe ad tributi solutionem. Hoc admittimus omnino, sed adhuc dicimus, nostra disputatio non est de hoc, sed circa punctum an princeps tali potestate usus sit in talis legis promulgatione vel non.

Dices: existimare debemus quod quidem tali potestate utatur Respublica quia sic efficacius finem suum consequitur. Resp. Potius existimare debemus quod non utatur, quia finem suum aeque consequi potest absque hoc quod obliget in conscientia ad obiectum proximum, per leges tributorum, ut supra diximus, aliunde suaviori modo ad eundem finem perveniet, quin peccato graventur tot homines, qui de facto aliqua

fraudant tributa, vel saltem fraudare cuperent si possent.

Hunc modum mitiorem condendi leges valde commendat Navarrus (Man. c. 23, 62.) et non immerito quando prout in casu potest sic obtineri idem bonus finis, quin alia gravissima damna, id est subditorum culpa, sequantur, quae alioquin omnino sequerentur si rigidiori modo lex conderetur. Quae ratio adeo efficax visa est Eminentissimo Lugo (41.), ut iam notavimus, ut absolute tradiderit quod posito ex una parte quod ad publicas necessitates sufficiat illa quantitas tributorum, quae potest colligi per legem pure poenalem, et attenta ex alia parte consuetudine, qua ut pure poenales apprehendunt homines huiusmodi leges, et certitudine etiam antecedenti quod lex alio sensu non observabitur, lex illa si vellet obligare directe in conscientia ad tributi solutionem, non serviret nisi ad illaqueandas animas subditorum sine fructu, et per consequens iam ex hoc capite esset inutilis et invalida.

Nec etiam tertium adversariorum argumentum nos cogit recedere a nostra sententia; sistamus nunc in eius prima parte. Et quidem si diceremus uni, ipsum non teneri in conscientia tributa solvere, et alteri diceremus teneri, utique iste cui diceremus teneri, posset iuste se conqueri de gravamine, quod ipsi redundat ex aliorum fraude; sed si omnibus idem ius facimus, quid est quod in nostra sententia vertat in iniustum alio-

rum praeiudicium? In quo quis sequens nostram sententiam iam potest locupletari cum aliorum iniuria ?

Dices, sed plures censum suarum facultatum scrupulose conficiunt, et isti iam magis gravabuntur. Concedo, sed non gravabuntur ob aliorum iniustitiam, sed solum quia voluerunt gravari ; liberum enim erat et ipsis suarum divitiarum summam imminutam tradere. Caeterum dum fideliter bona sua declarant, et sic magis ex una parte gravantur, ex altera vero parte, qua evadunt periculum solvendae mulctae, commodum sentiunt; et a pari qui censum suarum facultatum in minori qua esset quantitate praesentant, dum ex una parte commodum sentiunt, gravantur ex alia dum periculo se exponunt quod in fraude deprehendantur et damnentur ad mulctam; et sic posset forsitan dici, quod aliquo modo fit compensatio; nam ut dicunt aliqui (Rousselot) saepe plus aerario publico obvenit ex mulctis in poenam fraudis inflictis quam si adamussim tributa solverentur. Nec etiam dato, quod mulctae non computentur in solutionem tributi quod a tali provincia petitur, quodque proinde adhuc ex integro solvendum sit, neganda esset dicta compensatio redundans in favorem illorum, qui integre tributum absque ulla fraude solvunt. Nam quamvis unius mulcta lucretur aerarium, et sic cedat in bonum omnium subditorum non huius provinciae tantum, sed totius status, id tamen

quod ad aliam provinciam transit, et sic videtur huic provinciae amitti, redibit et sic haec eadem provincia lucrabitur in eo quod et ad ipsam transiet ex mulctis quae alibi solvuntur, et si non computatur in solutionem tributi quod est occasio mulctae, computabitur tamen ne nova tributa imponantur, quae in gravamen et illorum venissent qui tributum integre solverunt, et qui proinde hoc commodum sentiunt, ne nova tributa solvere cogantur.

Sed quidquid sit de hac compensatione, fortior responsio adversariorum argumento data est, dum diximus, fraudantem tributa, nullam iniuriam inferre concivibus suis, eo quod utatur iure suo. Iure autem suo uti patet ex probationibus secundae sententiae, quae probant legem tributorum esse pure poenalem, et contra quas probationes non evincit adversariorum argumentum. Saltem quaestio semper erit eadem, scilicet de facto, nempe an lex voluerit hoc vel illo modo potius obligare; nam loquendo de possibili videtur non posse negari, neque in casu de quo in argumento adversariorum, posse legem solum obligare ad poenam; hoc nullam involvit repugnantiam, nam nullo modo lex ista vergeret in maius unius gravamen ac alterius, quum omnibus eandem libertatem relinquat vel integre solvendi, vel non, cum periculo tamen solvendae mulctae, et nihil aliud obstare probavimus supra in responsione ad primum et secundum adversa-

qui duodecim, qui viginti solvere debuissent, qui pariter quaerent modum solvendi quid minus, et censum suarum facultatum et ipsi diminuent quantum possunt. Quod si ponamus omnes istos illam bonorum suorum declarationem ad medietatem resecare quid tandem contingit? Et ille qui solvere debuisset viginti si totum aperuisset, nihilominus solvet viginti, et qui solvere tantum quatuor, quatuor solvet, nec plus nec minus, quia quo loco publica potestas taxasset proportione v. g. unius super quodlibet centum facultatum subditorum, iam taxat proportione duorum.

Equidem nos posuimus quod omnes medietatem tantum bonorum suorum declarent, quod suppositum absolute loquendo est arbitrarium, sed videtur valde probabile moraliter loquendo; at si non potest dici dictum inconveniens omnino evanescere in nostra sententia, saltem videtur quod erit valde exiguum, dum e contra valde notabile videtur sequi ex opposita sententia.

Hinc admisso quod nobis opponunt adversarii, dicendum merito posse concludi legem potius voluisse obligare tantum eo modo quo vult secunda sententia, ne ideo sequeretur incommodum, quod adversarii pertimescunt. Saltem, ut diximus, hanc quaestionem circa factum firmant tot argumenta a nobis relata tum in probationibus nostrae sententiae, tum in responsionibus ad adversariorum rationes, et contra illa nostra fundamenta nil evincit adversariorum ratio, quam expendimus, ergo.

Non videtur vero inutile animadvertere, quod in casu de quo usque nunc, in quo scilicet taxatur communitas pro certa summa in singulas communitatis partes dividenda, etiam retenta adversariorum sententia videtur non esse illicitum minorem summam facultatum publicae auctoritati praesentare, retento quod id communiter fiat, prout videtur posse tuto affirmari, et posito quod reticeatur ea tantum facultatum quantitas quae communiter reticetur, quia hoc in casu non esset tributum fraudare, nec aliis gravamen adiicere, sed simpliciter se indemnem servare.

Ad illud vero quod opponunt adversarii ex locatione gabellarum, et ex praeiudicio quod inde ex fraude sentit conductor communis est responsio. Nam conductores non maius ius acquirunt ad solutionem gabellarum, ac lex ipsa imponat, nec propter gabellarum venditionem legem illas decernentem, naturam immutare vel quoad modum obligandi variare necesse est.

Si ergo qui emunt gabellas non maiorem imponere possunt solvendi obligationem ac lex ipsa statuat, si ergo lex non obligat in conscientia ante locationem gabellarum; nec et postea obligabit. Insuper sibi imputent ementes gabellas, si non invigilant quantum opus est ad omnem fraudem tollendam, et sicuti poterunt ditescere propter mulctas quas lex infligit pro ipsis contra fraudantes, sic aequum videtur ut patienter ferant aliquod detrimentum quod per tributorum fraudationem ipsis poterit obvenire.

Ad ultimum Resp. Legem quae obligat ad poenam non necessario obligare sub culpa iam diximus ex valde communi Theologorum sententia. Suarez (lib. 5. c. 4. de legibus n. 2.), S. Alph. lib. 1. 45.), quamvis poena in casu improprie dicatur talis; et licet poena esset gravissima, ut capitis, mutilationis, triremium, ex pluribus adhuc cum Navarro et S. Alph. et Salm. non inde sequeretur legem illam statuentem poenam, ad culpam directe obligare nisi ex alio capite id probetur. Verum leges tributorum nunquam poenas tam graves constituunt, et quamvis statuerent solum sequeretur posse aliquem peccare eo quod periculo gravis damni se exponat, non autem eo quod tributa fraudet. Unde si secreto et cum circumspectione quis tributa fraudaret, ita ut moraliter non adesset periculum quod deprehendatur ex nullo capite peccaret mortaliter.

§ 4.

NONNULLA CONSECTARIA EX SECUNDA SENTENTIA DEDUCUNTUR, ET NONNULLAE ADHUC RESOLVUNTUR QUAESTIONES CIRCA PRAESENTEM MATERIAM.

Ex hac sententia infertur pleno iure et a fortiori excusari peccato iniustitiae, et usquedum haud fuerit deprehensus in negatione tributi et legitime condemnatus nullo restitutionis onere adstringi qui merces vel seipsum occultat ne solvat tributum, illas in civitatem per vias insolitas vel etiam prohibitas invehit, ne solvat vectigal quod

esset ex lege solvendum, aut quamcumque aliam actionem fundantem debitum tributi abscondite ponit ne in cognitionem publicanorum illa deveniat, qui, quin tributum solvant, merces aliquas vendunt pro qua venditione esset tributum solvendum, ut est de vino quod minutim venditur a caupone, et pluribus aliis mercibus ; qui censum et valorem bonorum suorum super quae cadit tributum etiam enormiter imminutum conficiunt qui per mendacium quantumvis crassum tributi solutionem evadunt, vel quocumque alio modo a tributi solutione astute se eximunt; quamvis et in pluribus ex supradictis aliqui ex primae sententiae DD. convenire vidimus.

Similiter qui aliquem fundum immobilem emunt, et consentiente emptore minus pretium in publica scriptura pro illius emptione declarant ne publico aerario totam taxam statutam , cum magno dispendio solvere cogantur non peccant contra iustitiam, nec quidpiam restituere debent. Hoc et sponte fluit ex secunda sententia, sed fortasse hoc verum est et posita strictiori doctrina, quia nulla videtur dari lex, quae iubeat totum aperiri pretium, quo res aliqua emitur, sed solum videtur esse legem quae super pretio quo publica illa emptio fit decernit tantum esse solvendum. Integrum vero pretium inter partes statutum potest quoad partem reticeri etiam salva veracitate, quae et non unico modo salvari posse videtur.

*

Limitat Navarrus (c. 17. Man. 202.) ut ille teneatur ob fraudatum tributum restituere cui publicanus defert iuramentum, aut eius conscientiae remittit ut veritatem pretii aut mercium super quas cadit tributum quantitatem sincere aperiat, quique e contra mentitur et mercium quantitatem vel qualitatem vel quid simile minuit ut minus solvat tributum. Hanc limitationem reiiciunt alii alioquin in principio quoad praesentem quaestionem rigidiores, (vide et supra ubi exponitur prima sententia, et illius moderationes declarantur), sed dictam limitationem videtur haud posse negari quoties ex circumstantiis verum contractum inter debitorem gabellae, et exactorem illius intercedere dicendum sit, ut quum publicanus se obligasset in commodum debitoris ad se non certiorandum facto circa mercium v. gr. quantitatem vel qualitatem quas ille defert, ut illum ex. gr. expeditiorem relinquat ad transitum vel ne forte praeiudicium iisdem mercibus contingat quod maxime optat huiusmodi debitor, qui ex parte sua sincere promittit, et se obligat integram veritatem patefacere, sed iste casus, ut videtur, est perrarus. Excepto vero hoc casu contractus, neque erit in hac sententia obligatio restituendi ante iudicis sententiam etiamsi per periurium quis evadat tributi solutionem, quamvis gravissime hic peccet ratione periurii vel ex aliis capitibus, contra quae offendat.

Infertur a fortiori illos excusari a peccato in-

iustitiae et ab onere restituendi qui merces emunt pro quibus soluta haud fuit gabella, quae fuisset ex lege solvenda, non solum quando haec emptio est casualis nullam praebens venditoribus ansam ad fraudandas gabellas, quem casum valde communiter admittunt et primae sententiae patroni, sed etiamsi haec emptio absque ulla necessitate fiat, et solum ad minoris emendum, et etiamsi frequentissime contingat, imo et fuerit promissa, ita ut venditores ad fraudandas gabellas maxime incitentur.

Quia tamen illi qui in fraudandis tributis toto homine incumbunt, idque ut professionem exercent plerumque graviter peccant propter innumera pericula cui se exponunt tum animae tum corporis, et occasionem resistentiam opponendi custodibus viarum in qua versantur; hinc si quis ita ab aliquo emere promitteret, ut iste dictam agendi rationem fraudandi iniret vel in illa persisteret cum dictis inconvenientibus, non posset esse immunis a culpa propter cooperationem alterius peccato, quod tamen non esset fraudatio tributi, sed ad aliam speciem reduceretur.

Sed quid de eo qui vi et armis se eximeret a solvendo tributo? Istum peccare contra obedientiam legibus debitam omnino certum est, similiter omnino certum est quod iste peccat contra iustitiam ratione violentiae contra illos quibus infert vim, et quibus omnia damna compensare tenebitur, si quae eis obvenerunt ex eius violen-

tia, et propter has rationes absolvi non possunt qui omni possibili modo etiam incedentes armati defraudationem tributorum velut commercium quoddam exercent, nisi a tali procedendi norma firmiter recedere promittant.

Sed an iste teneatur, et de tributo quod sic evasisse supponitur, quaestio sit; Scavini (n. 748. nota), et Gury (738.) affirmant talem de quo in casu obligari restituere etiam in secunda sententia, nam etiamsi, inquiunt, lex quae tributa respicit aliquando ut mere poenalis haberetur, gubernatoribus tamen ius certum tribuit ad mulctam exigendam, si subditi in fraude deprehendantur.

Sed contra hanc sententiam et eius fundamentum videtur urgere ratio valde potens, nam si supponatur quod lex tributorum sit poenalis, et quod solum obliget ad mulctam post iudicis sententiam, ius certum non oritur eidem legi quoad dictam mulctam nisi post datam sententiam, ut tenet communis theologorum opinio, (v. Salmant. de Legibus); quae imo iudicis sententia etiamsi mendaciis vel quavis alia fraude impediretur nondum adhuc oriretur obligatio restituendi ut contra alios docent plurimi cum S. Alph. (lib. 3. 583.) Sanch. (lib. 2. Decal. c. 22. 22.) Lessio (lib. 2. c. 12. 134.) Lugo (disp. 18. 108.) Salm. (tract. 13. c. 1. 104.) Lacroix (82.).

Haec autem mulcta ex secunda sententia est tota obligatio quam imponit lex tributorum, at si non est solvenda haec mulcta nisi post iudicis

sententiam, et haec sententia nondum est lata, ut supponitur in casu quaestionis, omnino videtur talem fraudantem absolvendum a restitutione solutionis tributi, quamvis ut diximus absolvi non possit a restitutione damnorum quae causasset ob suam violentam actionem. Et sic videtur illum absolvere Navarrus (cit. c. 23. 61.) ubi haec scribit: « importans aut exportans vetita peccat volendo defendere ea vi et armis, ne custodes ei auferant illa, quia qui resistit iuste aggredienti peccat. Dixi: vi et armis, quia secus, si fuga vel blandis verbis, aut alio modo licito et honesto id faceret. » Ibi, ut dico, Navarrus talem videtur absolvere, nam ad quaestionem quam agimus indifferens videtur an fraudatio tributi fiat per medium fugae, vel per vim; nam et in casu quo fraudetur tributum fugiendo praecessit petitio illius, ut supponit Navarrus, et prout colligitur expressius et ex aliis verbis quae addit, et iam legis praecipientis tributum facta est applicatio, et iam lex illuderetur per medium quod aeque spectat ad finem ac vis, et quod a vi discriminatur non quatenus est medium, sed solum in circumstantia accidentali; at in casu quo tributum non solvatur quia illius debitor fugit absolvit Navarrus a restitutione; ergo et a restitutione absolvere convincitur et qui illa non solvit vi adhibita, aliunde si loco citato Navarrus intendisset et fraudantem tributum per vim de obligatione restituendi criminari et non solum de culpa, id

profecto dixisset prout dicit in simili (c. **17. 202.**) superius adducto.

Verum equidem si dicimus cum Navarro, legem tributorum de qua fit quaestio solum obligare post iudicis sententiam ob ipsam talis legis naturam in nihilo restrictam, fateor quod quamvis mihi videatur aliqualiter dura consequentia quam ipsum Navarrum hic in quaestione de fraudante tributum vi et armis dicimus deducere, nil tamen invenio quod ipsi valeam absque probabili exceptione opponere.

Sed si magis placet dicere legem tributorum obligare quidem prout contendit Navar. idest solum post sententiam, sed, prout magis videtur probari, id potius deducimus ex consuetudine, quae hanc legem sic interpretatur, et id tenemus propter communem sensum qui sic apprehendit obligationem in huiusmodi legibus, plus minusve huius legis obligationem moderantes cum hoc communi sensu; vel si etiam id velis deducere ex ipsa natura obligationis ipsius legis, tibi omnino liceat, modo tamen hanc intrinsecam vim obligandi in lege non constringas ultra quam facit communis illa opinio, videtur dicendum quod ille qui vi fraudat tributum peccet in legem tributorum et teneatur restituere. Nam communis consuetudo non solum timoratorum, sed et illorum qui externam tantum urbanitatem salvare student ab hoc modo violenter fraudandi tributa abhorret. Admissa autem sic in lege intrinseca vi obli-

gandi in casu, cui haud fuerit per contrariam vim derogatum, illa erit servanda; qui ergo illam negligit in illam peccat, et tenetur restituere vel quia violat ius strictum quod fundat lex tributorum ut multi volunt cum Suarez, vel quia lex tributum imponens quod per vim fraudatum fuit pergit illud petere, cui petitioni solum per solutionem potest fieri satis. Hoc autem argumentum valet pro omnibus tributis, verum et pro quibusdam mihi videtur posse urgentiorem adhuc rationem adduci, quae non solum videtur probare fraudantem haec peculiaria tributa vi et armis teneri restituere, sed et teneri de mulcta quam in fraudationis poenam infligit lex. Nam relate ad quaedam tributa magis usualia exactores praepositi ad illorum solutionem percipiendam, ni error, possunt dici quod simul sunt exactores pro tributi solutione exigenda, et simul sunt iudices pro mulctis infligendis in casu fraudis. Id factum videtur dicere; nam si v. gr. ad portam civitatis pervenias, in quam quaedam merces non possunt introduci absque vectigalis solutione, et illas merces nihilominus velis in eandem civitatem occulte absque tributo introducere, si praepositus te deprehendit in fraude, absque alio processu mulctam tibi infligit ob auctoritatem quam ad hoc ipsi tribuit ipsa lex; at post mulctam sic tibi a tali praeposito inflictam in casu onus tibi incumbit quidem in conscientia illam mulctam solvendi etiam secundum AA. secundae sententiae, et est commu-

nis theolog. doctrina prout diximus in praemissis. Equidem sunt qui dicunt poenas aliquando non esse solvendas nisi post iudicis sententiam definitivam, et a qua non possit appellari, sed hoc verum est ubi lex ipsa tibi facit facultatem differendi poenae solutionem propter interpositam appellationem, non autem quando appellatio haberet tantum effectum devolutivum ut dicunt, prout evenit in casu de quo dicimus, in quo sub poena rei commissi statim incurrenda, ut communiter solet per leges decerni, mulcta a praeposito inflicta statim ex legis praescripto solvenda est.

Iamvero si vi et armis fraudantur aliqua ex hisce tributis relate ad quae praepositi exactores habeant supradictam facultatem videtur, ut dixi, quod fraudans etiam teneatur de mulcta per legem inflicta, et non solum de tributi solutione. Nam dum praepositus ita facto se gerit ut necessaria sit vis ad eius petitionem illudendam, videtur velle exigere tributum quod esset solvendum omni iure et omni auctoritate, et modo adhibito quo potest, et sic factum ipsum indicat dictum praepositum in casu tributum exigere omni etiam mulcta inflicta, quam iuxta leges indicere potest. At mulcta indicta per praepositum exactorem in casibus in quibus per leges id potest oritur obligatio in conscientia illam solvendi; ergo verum est quod in casu fraudans vi et armis tributum tenetur et de mulcta per leges statuta.

Quid de gabellariis, et quid de eo qui illos

aliquo modo inducit ut fraudationi non obsistant et consentiant? Respondeo, gabellarii non possunt conniventes se praebere fraudationi tributorum, imo debent invigilare ut tributa solvantur; unusquisque in suo ordine et quantum exigit officii ratio quod ei creditum fuit, ad hoc enim se obligarunt ex contractu dum officium acceptarunt. Quod si recte munere suo non fungantur, tenentur erga rempublicam vel quemcumque qui reipublicae iura legitime acquisivit de toto quod interest. Hinc si culpa custodum soluta non fuere tributa, haec debent ab ipsis custodibus solvendo restitui, si invectae sint in regionem merces prohibitae contra ius privativae quod habeat respublica, restitutio facienda est secundum aestimationem damni quod inde patitur respublica, idest tantum restituere debent custodes quantum reipublicae intererat ut non inveherentur illae merces prohibitae. Possunt vero in communi sententia sibi isti custodes retinere pretium quod fortasse acceperint pro dissimulatione. Lugo (37.103).

Sed tenentur ne etiam de mulctis quas infligere debuissent non solventibus tributum, vel de mercium ipsarum valore si aliquando illae in commissum incidere debuissent, praecipue quando talem poenam per se absque alio processu potuissent infligere gabellarii et culpabiliter non fecerunt? Affirmant probabiliter non pauci Soettler (160.) Sotus et alii apud Salm. (cap. 1. 136. Tract. 13.), quia aiunt isti custodes in casu vere

sunt causa damni quod inde sentit ille qui ius habebat ad illud lucrum quod per poenam decernebatur, illud enim illorum culpa non percipit.

Negat tamen communior sententia, quia isti custodes solum tenentur vi officii vectigalia recipere, et invigilare ne haec fraudentur, non vero mulctas infligere illa fraudantibus. Istas igitur restituere non tenentur etsi eorum negligentia non solvantur quia contra iustitiam in hoc custodes non peccant. Salm. (tract. **13**. c. **1**. **136**.) La Croix (lib. **3**. p. **2**. **48**.) Lugo (disp. **37**. **102**.) Gousset (**1000**.) quod etiam valet pro casu quo ipsi custodes possent ex se mulctas infligere, nam etiam pro hoc casu videntur militare rationes adductae, et dissimulando vel connivendo cum fraudatoribus, prout argumentatur Lugo cit. videntur solummodo supra se assumere illud damnum quod alii inferunt, et constituere se quasi auctores illius damni, non ergo tenebuntur ad maiorem restitutionem, quam si ipsi soli fuissent revera auctores illius damni.

Notandum vero quod gabellarii non damnandi sunt, quando subinde benignius agunt praecipue cum pauperibus, vel etiam aliquando cum iis qui gabellas alias diligenter solvunt. Vogler apud Soettler **152**. vel si agatur de parva re, vel de re ad usum personae deferentis prout ait Scavini **649**. not. Sed hoc ultimum videtur limitandum si intra limites consuetudinis contineatur, idest non sit res valde notabilis. Supponimus vero super has res

ad usum deferentis destinatas vere impositum esse tributum, quod fieri posse diximus « sub tertia conditione ad tributi iustitiam requisita. »

Quoad eos vero qui custodes inducunt ad consentiendum tributorum fraudationi videtur et illos teneri restituere quidquid lucraturum fuisset publicum aerarium, si talis corruptio locum non habuisset non quidem in nostra sententia causa fraudis, sed causa cooperationis illi iniustitiae, ad quam perpetrandam induxerunt custodes.

Solum potest dubitari an primo loco teneantur restituere custodes qui fraudationi consentiunt, an ipsi fraudantes qui custodes corrumpunt. In strictiori sententia circa tributi solutionem in conscientia, ad quaestionem videtur facilis responsio, et dicendum custodes teneri, restituere solum secundo loco, et nonnisi post eos qui ipsos custodes induxerunt ad fraudationem tributi permittendam. Sed in nostra sententia ex una parte videntur primo loco teneri custodes qui videntur causae principales damni quod inde patitur lex tributorum, ipsis enim primario et per se inest vi contractus obligatio impediendi fraudationem tributi, cuius obligationis violatio tota causa est in nostra sententia cur in casu adest debitum restitutionis, porro fraudantes in casu solum contra illam obligationem egerunt quatenus custodes ipsos ad illam transgrediendam induxerunt, et sic sunt solum cooperatores iniustitiae, non vero executores, executores autem iniustitiae prout sunt custodes

tenentur restituere ante alios cooperantes, qui minus ad eamdem iniustitiam concurrere videntur.

Verum videtur dicendum fraudantes teneri restituere in casu primo loco et ante custodes, saltem loquendo secundum communiores sententias quas sequuntur theol. in statuendo ordine in restitutione servando, et praecipue non disputando de sententia Pet. Navarri, et de sententia Barth. Med. Nav. Bonac. etc. pro quo vide theol. in hac quaestione.

Et suadetur haec sententia primo quia isti fraudantes causa iniustitiae ditiores facti sunt, et comparandi videntur illis qui rem furtivam in specie retinent, quique primo loco ante omnes alios restituere debent, ex communi sententia. Quod de custodibus dici haud posse videtur etsi pretium propter iniquitatem recipiant, non enim ipsi in casu ditescunt ex iniustitia, sed solum occasione iniustitiae, at fraudantes proprie ipsi fructus colligunt iniustitiae.

Suadetur 2°. quia isti fraudantes etiam videntur esse causa principalis moralis quatenus per consilium in ipsorum gratiam datum custodes induxerunt ad iniustitiam, et sic vere mandantes fuere; mandans vero tenetur primo loco restituere etiamsi non sit superior, saltem ut diximus in communiori sententia. Et quidem communi sensu isti fraudantes censentur in se primario suscipere onus restitutionis. Minus enim aequum ne quid plus dicam videretur quod isti

fraudantes a custodibus exigerent ut restituant pro ipsis, dum ipsi fuere qui illos induxerunt ad iniustitiam in ipsorum gratiam et utilitatem, et ita tenet Gousset (n. 1000.).

Quaeres nunc an teneantur subditi solvere tributa in dubio de illorum iniustitia, si facta debita diligentia ad repellendum dubium hoc adhuc perseverat.

« Est autem ratio dubitandi de iustitia tributi ex gravibus auctoribus, ait Billuart, quando nova tributa imponuntur aut antiqua augentur, item quando est communis persuasio in populo maxime in probis et doctis ea quae praetextu necessitatis imponuntur aut augentur in non necessarios usus expendi aut in maiori quantitate exigi quam necessitas requirat, tot enim, inquiunt, conditiones requiruntur ad iustitiam tributi imponendi vel augendi ut in tanta tributorum multitudine qua his temporibus gravantur populi merito praesumatur quaedam esse iniusta, plura incerta et dubia. »

Sed duo hic praemittenda sunt: 1°. Praesentem quaestionem tantum procedere posita prima sententia, quae dicit leges tributorum obligare in conscientia ante omnem iudicis sententiam, nam in secunda sententia quae statuit leges tributorum imponentes tributa etiam certo iusta esse pure poenales, praesens quaestio valde facilis esset solutionis; 2°. Praemittendum quaestionem tantum procedere de tributo dubio qua parte dubia

sit eius iustitia; hinc si de aliquo tributo dubitetur an cohonestetur legitima causa quaestio respicit totum tributum, quod si e contra de aliquo tributo solum dubitetur an sit excessivum qua parte prudenter iudicari potest esse iustum certo solvendum est, et solum in casu esset quaestio an etiam solvendum sit quoad partem de qua dubitatur an sit excessiva.

Ad quaestionem igitur triplex adest praecipua sententia: 1ª. Dicit tributum esse solvendum pro rata dubii ne ex una parte si a solutione tributorum dubiorum subditos omnino absolvas noceas principi cui fortasse debeantur et ab obedientia illi debita subditos iniuste subtrahas, et ne ex altera si ad integram solutionem subditos cogas damnum istis inferas qui ea fortasse non debeant. Auctor huius sententiae est Billuart et illam probabilem dicit Bouvier; sed non videtur sine difficultate. Nam quid si tributi causa de cuius iustitia dubitatur indivisibilis sit? quid si postquam tributum pro rata perceperit princeps illud iterum indicat ad reliquam partem reportandam usquedum integram summam secundum pristinam aestimationem acceperit?

2ª. Sententia valde probabilis dicit tributum esse integre solvendum et fideliter, sive dubium sit negativum (si tamen hoc dubium vere potest dari de quo aliqui sapientes dubitant) ut cum scilicet dubitatur de iustitia tributi absque eo quod sit aliqua ratio probabilis pro, aut contra

illius iustitiam sive dubium sit positivum, ut cum dubitatur propter rationes hinc et inde probabiles circa tributi iustitiam. Cum enim res est ex aequo dubia (ait Sylvius concl. 6.) debent subditi se conformare iudicio superiorum pro quibus magis praesumendum est quod iuste agant quam quod iniuste, nec eorum facta sunt per subditos examinanda, nec semper, addunt alii, subditi possunt cognoscere omnes regni necessitates, imo nec decet; aliunde aequus ordo et pax publica postulant ut subditi semper pareant legibus quae non sint evidenter iniustae. Bouvier, Alasia.

3ª. Demum sententia etiam valde probabilis et fortasse probabilior negat in casu quaestionis esse tributum solvendum sive pariter dubium sit negativum, sive et praecipue si dubium sit positivum, quia in dubio ei qui petit semper incumbit onus probandi; cum ergo princeps in casu ipse sit qui petat exigendo tributum, ipsi incumbit onus probandi illud esse iustum, quod quousque non probaverit non tenetur subditus illud solvere eo vel magis quod iste est in possessione facultatum suarum et immunitatis a tributo, iamvero in dubio melior est conditio possidentis; adducitur etiam communiter pro hac sententia C. Pervenit de censibus, ubi dicitur in omni censu oportere ut ad quid et quando persolvi debeat praesciatur et C. Quanquam eodem titulo in 6. ubi dicitur similiter, pedagiorum exactiones tam iure canonico quam civili regulariter esse damna-

tas, et ad rationes secundae sententiae respondetur communiter praesumendum quidem pro iustitia eorum, quae agunt principes nisi tamen adsint tales circumstantiae, quae valeant illam praesumptionem infirmare, prout revera evenit in casu nostro, in quo agitur de interesse ipsius superioris, qui non immerito aliquando potest praesumi partialis, et in quo agitur de interesse ipsius subditi qui tandem a iure certo possidendi res suas, cadere non debet, propter solam praesumptionem iustitiae illius legis, quae illum vult expoliare; et quidem esset onus nimis grave imponere subdito, velle hunc adigere cum proprio damno ad parendum legi, cuius iustitia est dubia. Quod si subditus non potest cognoscere omnes regni necessitates, bene possunt eidem aperiri, nec dedecet quod illi manifestetur illa regni necessitas, ad quam sublevandam ipsius exigitur concursus. Tandem posse quidem contingere quod aliquando adsit vera obligatio parendi alicui legi non solum dubie iustae, sed etiam evidenter iniustae, cuius tamen materia licita sit, sed hoc esse tantum per accidens nec de hoc moveri quaestionem, nam hic quaeritur de obligatione directa et per se, et non de obligatione accidentali, dicere vero adesse obligationem praestandi obedientiam legi dubie iustae vi solius talis legis etiam quando prout in casu id quod praecipitur esset nimis difficile subdito et magnum ei damnum afferret, esset ponere extra litem quod

dhuc est sub illa, et esset velle probare per id quod adhuc statuendum est.

In hanc sententiam quae multos habet patronos inclinat S. Alph. (617.) ubi tamen in dubio negativo requirit post Lugo, quod aliqua adsit praesumptio de iniustitia tributi, ut dubium iam non sit verum dubium, sed potius ut propter praesumptionem dictam fundetur magis pars contraria. Verum si in dubio etiam negativo petenti tributum incumbit onus probandi illius iustitiam, et potius favendum ei de cuius damno agitur, idest subdito, dicta praesumptio non videtur necessario requiri. Hinc Lugo cit. (89.) postquam in dubio negativo praesumptionem sufficientem pro iniustitia tributi videtur exigere, subdit tamen: « Quando igitur sciri non potest, nec iudicari etiam probabiliter tributum esse iustum non videtur obligandus subditus ad illud solvendum. »

Aliunde dicta praesumptio communiter ab auctoribus tertiae sententiae non requiritur, vel illa semper supponitur quoties de tributi iustitia non constat. Sporer (154.) Sanchez (dub. 6. c. 4.).

Exigentes autem publica tributa in dubio an sint iusta, an peccent, affirmant plures nisi isti exactores subditi sint et a principe compellantur ad illorum exactionem: sed alii excusant tales exactores etsi non adigantur a principe, quia possunt iudicare regem esse prudentem nec imponere tributa absque sapientum consilio.

Quaeres ulterius an peccent et teneantur resti-

tuere qui asportant vel vendunt aut emunt merces prohibitas ut est tabacum exterum, vel vendunt merces quas aliqui ut soli vendant privilegium a publica potestate consecuti sunt.

Ad primam quaestionem aliqui respondent, illum qui merces prohibitas vel emit vel transfert contra legis praescriptum semper peccare quia facit contra leges, ad nullam tamen restitutionem adstringi quia nullius ius strictum violat, non principis qui illas merces sibi non reservavit, non alicuius privati, quia nullus eas vendendi privilegium habet. Limitant tamen isti DD. nisi aliquod damnum negotiatoribus regni iniuste inferatur, quo in casu obligant ad restitutionem; quando enim, aiunt, in eorum gratiam ut facilius merces suas vendant alienae prohibentur, qui eas in notabili quantitate introducit illis iniuste damnum infert, ac proinde illud pro posse reparare tenetur. Bouvier.

Sed si vera est haec limitatio, dicendum moraliter loquendo semper in casu oriri obligationem restitutionis, nam moraliter loquendo finis talium legum, quae merces aliquas omnino prohibent, est publico aerario vel commercio nationali, aut alicuius civitatis favere, unde in praxi casus exceptionis in quo esset restituendum potius esset erigendus in regulam, et regula potius inscribenda ut quaedam rara exceptio, quae fortasse nunquam locum habebit.

Verum dicendum in casu nullam oriri obli-

gationem restituendi tum propter rationes superius adductas quas bene expendunt Sanchez consil. (lib. 2. c. 4. dub. 16.) et Lugo (70.), qui et in hanc sententiam descendunt quae nullam restituendi obligationem agnoscit, tum praecipue quia ex communissima sententia istae leges pure poenales sunt, ita ut neque per se sit peccatum talibus legibus contraire nisi forte per accidens ex alio capite peccetur.

Sylvius qui ut notavimus tenet leges tributorum obligare in conscientia ait (2. 2. q. 66. art. 8. conclus. septima) « a lege tributorum discernendae sunt aliae quibus statuitur ne quaedam merces evehantur ex regno sub poena unius vel duorum aureorum. Huiusmodi enim leges non sunt tributariae, sed poenales; ideoque non obligant ad poenae solutionem ante sententiam iudicis, etiamsi quis huiusmodi merces evexerit; » et ita sentit communis theolog. sententia ex Rousselot (pag. 154.) et est communis etiam timoratorum persuasio ex Soettler et Billuart. Ad rationes limitationis quam ponit contraria sententia constabit responsio ex mox dicendis in sequenti quaestione.

Ad secundam quaestionem scilicet quoad eum qui per fraudem vendit merces quas aliqui tantum vendendi ius habent ex privilegio alii dicunt istum et peccare et teneri ad restitutionem tum erga privilegiatos, tum aliquoties erga principem, et quidem, aiunt, tenetur ad restitutionem erga privilegiatos de toto lucro quod probabiliter et

legitime fecissent si fraus talis vendentis locum non habuisset, ius enim strictum tales privilegiati ad lucrum illud habent utpote titulo oneroso acquisitum ; et aliquoties tenetur ad restitutionem et erga principem, ut quum pro qualitate mercium, quas vendunt privilegiati, tributum principi esset solvendum ; nam cum inde per fraudem minuatur venditio privilegiatorum, minuitur et lucrum principis quod erat percepturus, quodque proinde refundendum ab eo qui est causa fraudis.

Bene tamen advertunt huius sententiae patroni quod illud quod aliquando esset restituendum principi, posset detrahi a quota quam ista sententia dicit restituendam privilegiatis; non enim esset restituendum privilegiatis totum lucrum quod acquisivissent dempta fraude, et ulterius principi quod ipsius interest, sed facta principi restitutione, privilegiatis totum restituendum quod lucrum habuissent detracta parte, quam principi solvere debuissent, quamque iam restitutam supponimus vel restituendam.

Probabilius tamen plures aliter sentiunt, quorum alii dicunt illum qui fraudulenter vendit merces quas aliquis tantum vendendi ius habet, peccare quidem sed ad nullam restitutionem teneri ante iudicis sententiam: alii vero tum a culpa, tum a restitutione pariter ante iudicis sententiam absolvunt.

Alii igitur dicunt vendentes merces in damnum alicuius privilegiati peccare, quia leges quae ali-

cui privativam facultatem concedunt aliquas merces vendendi, morales sunt et obligantes in conscientia, ita ut peccet ratione materiae quicumque aliquid contra illarum praescriptum faciat, non inde tamen obligari restituere, quia ut ait Alasia de Restit. (diss. 1. c. 4. 3.), qui huiusmodi privilegia consequuntur nullum ius strictum acquirunt vendendi huic vel illi emptori, et nec inde ullum ius strictum acquirunt ne alius huic vel illi emptori vendat, eo vel magis quod nullum inde damnum obveniat, neque privilegiatis, qui ex praevisione fraudum iam privilegii pretium minuerunt, vel aliam compensationem exegerunt, neque principi qui compensatur per aliorum tributorum impositionem, ob quam si forte gravantur subditi, non ex hoc ius acquirunt ut ipsis restituatur, vel quia iam proportionate levantur dum merces privilegiatas minoris emunt propter minorem raritatem illarum mercium, quae consequitur ex clandestina venditione prout communiter solet contingere, vel saltem quia ut leventur a graviori concursu ad publica onera per illam venditionem cariori pretio facultatis monopolii de quo est casus, maius ius non habent ac illis confert lex, quae prout hic dicit Alasia et supra probavimus praecipue in responsione ad tertium argumentum primae sententiae, ius tantum legale creat, ex cuius violatione non oritur obligatio restituendi.

Aliqui qui in hanc sententiam descendunt, quae

vendentes merces in damnum privilegiatorum excusat a restitutione, limitant ut non procedat quando qui facultatem privativam obtinuit, opus valde utile societati perficiat, et declaraverit se nolle illud aggredi, nisi solus ipse illud exercendi privilegium habeat, quia aliter grave damnum esset passurus, quo in casu volunt oriri obligationem restituendi ex venditione in fraudem privativae, idque arguunt ex quodam contractu explicito vel implicito inter privilegiatum et omnes cives, qui a publica potestate repraesentati se illi vinculo iustitiae obstrinxerunt. Vid. clar. Gastaldi (p. 246.)

Sed haec limitatio non est admittenda stando principiis dictae sententiae, nam contractus quem isti ponunt inter privilegiatum et singula societatis membra, est fictio, quae est et contra principia quae et ipsi sequuntur; contractus equidem existere dicendus in casu inter privilegiatum et publicam potestatem, quae proinde ex iustitia commutativa tenetur per leges suas integram privilegiato suam facultatem et omnem promissam rationem servare; sed inter privilegiatum et singulos cives nulla alia intercedit ratio nisi quam ponit ipsa publica potestas per suas leges; istas autem leges non fundare obligationem iustitiae commutativae, sed solius iustitiae legalis ipsimet contendunt adversarii; ergo.

Alii tandem, ut diximus, dicunt et leges quibus alicui reservatur facultas aliquas merces vendendi in exclusionem aliorum esse pure poenales

haud secus ac leges tributorum, et ideo ex illarum violatione non aliam oriri obligationem nisi subeundi poenam post iudicis sententiam. In hac sententia non solum non oriretur obligatio restituendi ante iudicis sententiam, sed neque per se esset peccatum talium legum transgressio, quamvis per accidens culpa possit intervenire.

Quaeres tandem cui facienda sit restitutio si aliquando fraudata fuere tributa. Non loquimur de illis qui deprehensi in fraude damnantur ad mulctam, isti enim debent se conformare ipsi iudicis sententiae. Unde haec quaestio in nostra sententia procedit tantum de illis qui fraudarunt tributa corrumpendo custodes prout vidimus, et de custodibus qui illorum fraudi fuerint cooperati, et respondemus.

Plures dicunt restitutionem faciendam principi, etsi gabellas alius conduxerit. Nam illi, aiunt, facienda est restitutio cui facta est iniuria et allatum damnum. At princeps propter subditorum fraudes viliori pretio vendidit ius gabellam exigendi, unde passus est iniuriam et damnum; ii autem qui conduxere gabellas nullum inde sentiunt damnum quum in contractu ratio habita sit eorum, qui gabellas defraudare solent, et sic illas minori pretio emerunt, quas alioquin multo pluris conduxissent. Alasia (diss. 5. c. 1. art. 3. de Legibus).

Alii plures praesertim recentiores dicunt restitutionem faciendam esse nec principi, nec tri-

butorum conductoribus, quia ex fraudibus nihil isti patiuntur, sed societati restituendum, in quam fraudum, quae committuntur, cadit damnum, quum maioribus tributis gravetur. Et quia, subdunt, singulis in individuo restitutio fieri nequit, secundum intentionem ipsius communitatis rationabiliter praesumptam, summam restituendam, vel in pauperes debere distribui, vel in causas pias et publicae utilitatis impendi; ex quo onus, quod ipsi communitati incumbit pauperes alendi, hospitiis, Ecclesiis, piis operibus succurrendi allevabitur, eo vel maxime quod, ut dicunt, nullus existat modus quo ad aerarium publicum tuto possint pervenire huiusmodi restitutiones, nec praepositi in mandatis habent eas recipiendi. Rousselot, Bouv. Gury, Gousset, et videtur tenere Scavini (814.). Limitat tamen Gousset nisi summa notabilis esset restituenda.

Haec sententia quae dicit restitutionem in casu faciendam esse communitati, dando pauperibus vel aliis institutis eidem communitati utilibus, nisi saltem agatur de summa valde notabili, pro tunc quando gabella non est alicui privato vendita, vel locata multum probabilis est tum propter auctoritatem extrinsecam tum intrinsecam; sed si gabella fuit alicui vendita vel locata videtur restitutionem in casu omnino faciendam illi conductori vel emptori. Nam iste quidem minori pretio gabellam emit ob praevisionem fraudum, sed non ideo renuntiavit iuri compensationis quod

oritur ex fraude, et si patitur iniustitiam, ut supponitur, ex non solutione tributi, ius acquirit ad debitam illius reparationem. Confirmatur: propter fraudes, quae communiter committuntur in solutione tributorum etiam integrum ius ad illa minus valet, conductor vero pro minori illo pretio acquirit non solum ius ad gabellas quae solvuntur, sed ad gabellas quae solvi deberent; idque patet ex eo quod et in ipsum transferatur ius ad exigendas mulctas quae iuxta legis determinationem infligi poterunt; at si conductor vel emptor acquirit ius ad omnes gabellas quae solvendae sint ex lege, iam constat in ipsum redundare fraudis iniuriam et damnum quod inde consequitur, quodque ipsi proinde compensandum.

Insuper in casu restitutionem non esse faciendam principi prout statuit prima sententia sed conductori, videtur et probari posse ex eo quod vel prout dicit secunda sententia, princeps nullum patitur damnum, vel ex eo quod dato principem damnum subire, illud tunc subit quando nondum est contracta obligatio illud reparandi: nam prout supponimus in casu illud subit dum locat gabellas, et nondum fraudata supponuntur tributa; quae autem tributa dum postea fraudantur, et sic contrahitur obligatio reparandi damnum, princeps iam non retinet ius ad hanc reparationem exigendam quia omne ius suum transtulit in conductorem; huic ergo facienda restitutio. Istum autem conductorem vere damnum sentire probatum

est; nam quamvis propter fraudum praevisionem viliori pretio emerit gabellas, ius tamen prout diximus acquisivit ad exigendos omnes fructus gabellarum, ex quibus iam si aliqui fraudantur ipsi fraudantur.

Similiter in casu quo gabellae locatae vel venditae fuerunt alicui privato, a fraudatoribus qui obligati sint restituere non esse restituendum communitati, prout dicit secunda sententia, sed illi privato qui illas gabellas emit vel conduxit, videtur et posse probari ex eo quod damnum quod communitas patitur in casu sequitur ex fraude tributorum, de quibus est quaestio solum per accidens, et occasionaliter, non autem ex illa tanquam ex causa; iamvero damna quae sequuntur solum occasionaliter et per accidens ex aliqua actione non sunt compensanda lege iustitiae; ergo. Minor est communis prout docetur de Restitutione; vide inter alios Sanchez (Consil. lib. 1. c. 4. dub. 5. Salm. tract. 13. c. 1. 114.).

Maior probatur: nam dato communitatem vere in casu sentire damnum, hoc non potest tanquam ex causa sequi ex fraudatione illa tributorum de quibus est quaestio, quia haec fraudatio nondum locum habuit ut supponitur quando gabellae minoris locantur et quando vere communitas damnum sentit, quia inde princeps ob minorem summam perceptam occasionem sumit alia tributi indicendi; ergo. Confirmatur eadem maior, nam fac quod locata gabella nulla fraus inde con-

tingat vel propter custodum vigilantiam et fidelitatem vel quamcumque velis causam, non inde communitas quidpiam lucratur prout supponimus cum totum lucrum cedat conductori; ergo ex fraude tributorum in casu nil pariter communitas amittit. Non ipsi proinde damnum compensandum, sed conductori, qui vere sentit damnum fraudis si qua contingat.

FINIS.

IMPRIMATUR

Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. Ap. Mag.

IMPRIMATUR

Petrus Castellacci-Villanova Arch. Petr. Vic.

ALIA OPERA RECENTER EDITA

BONA (I.) S. R. E. Card. Via Compendii ad Deum per motus anagogicos et orationes iaculatorias opus exaratum. 1 vol. in-16. . . . . *L.* 1 50

GERDIL (H.S.) S.R.E. Card. Ad hierarchicam Ecclesiae constitutionem spectantia, in-8. » 3 50

— Institutiones Logicae Metaphysicae et Ethicae in usum Seminariorum nunc primum editae. 2 vol. in-8. . . . . » 7 50

LEONIS MAGNI (S.) Sermones. in-12. . » 2 —

LUCIDI (Angelus). De Visitatione SS. AA. LL. seu Instructio Benedicti XIII super relatione status Ecclesiarum exposita et illustrata, 3 vol. in-8. . . . . » 25 —

MANUALE ECCLESIASTICORUM, seu Sacrae Rituum Congregationis decreta soluta ex collectione authentica ad ecclesiasticorum utilitatem et opportunitatem. (Ed. tertia) in-8. . . » 3 50

PATRITII (Franc. Xav. S. I.). De consensu utriusque libri Machabaeorum in-4. . . » 7 50

REIG (P. Ios.). Auster vivificans sive contemplationes circa perfectiones Dei, uni trini, incarnati et in eucharistia oblati ad inducendum animas ad amorem Dei perfectum, his accedunt meditationes circa litaniam lauret. et aliae ad gloriam B. V. Mariae spectantes singulis diebus tot. 2 vol. in-8. . . . . . » 9 —

SAULII (B.Alex.). De Officio et Moribus Episcopi commentariolum, in-8. . . . . » » 80